Diss. Freiburg i/Br 1888

R. Asmus

QUAESTIONES EPICTETEAE

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA FRIBURGENSIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLPHUS ASMUS

STEINENENSIS

FRIBURGI BRISIGAVORUM

EX OFFICINA C. A. WAGNERI

MDCCCLXXXVIII

OTTONI HENSE

S.

INDEX CAPITUM

	Pag.
Percensentur Epicteti fragmentorum collectiones . . .	1— 7
De fontibus Epicteteorum	7—26
De gnomologio Democrito-Epicteteo	8—17
De Maximo et Antonio	17—26
De Arriani librorum Epicteteorum inscriptionibus . .	26—51
De titulis, quos ad Epicteti vitam ab Arriano peculiari libro enarratam referre volebant .	31—37
De reliquis inscriptionibus maximam partem a Stobaeo adhibitis	37—47
Quaeritur Stobaeus ipsos Arriani libros adierit necne	47—51

Quod haud paucis auctoribus nostra demum aetate contigit, ut praeter libros eorum, qui integri aetatem tulerunt, etiam frustula a variis scriptoribus hic illic conservata in corpusculum colligerentur, id studium paulo curiosius Epicteto philosopho iam primis post litteras renatas saeculis impendi coeptum est. Nam ut alias mittam causas, quibus Epicteti philosophia moralis hominibus doctis saeculi sexti decimi commendabatur, rem haud mediocriter adiuvit quod locorum, qui supersunt, longe plurima pars ex uno fere hauritur Ioanne Stobaeo. Postquam igitur florilegii q. d. Ioannei editio princeps Trincavelliana publici iuris facta est (Ven. a. 1536), tribus vix lustris praeterlapsis excerpta Epictetea dispersa colligere, collecta Arriani operum editioni, ut tunc mos erat, appendicis loco adnectere coeperunt.

Neque tamen continere se volebant viri docti in exhauriendo Stobaeo: haud ita multo post exstiterunt qui additis fragmentis aliunde petitis priores collectiones ita amplificarent, ut aut multum ego fallar aut illi nimio quodam studio abrepti Epicteto plus nocuisse quam profuisse possint convinci. Sed antequam haec, quae sua fere sponte nobis se offert, quaestio prima commentationis particula accuratius perpendatur, fortasse haud abs re erit collectionum, quas quidem cognitas habeo, brevem descriptionem praemittere, cum praesertim sint libri ex parte rariores, ad quos commode aditus non pateat.

Quamquam haec mihi libertas concessa sit brevitatis studioso, ut librorum inscriptiones more temporum illorum fusiores exscribam paululum recisas nullo scilicet a me verbo mutato vel addito. Quorum interest cognoscere titulos integros, eos ad Schweighaeuseri diligentiam (Epicteti enchiridion Lips. ed. a. 1798 praef. p. X sqq.) relegatos velim. Sunt autem collectiones ex temporis ordine dispositae haece:

1. Enchiridion Epicteti . . . Cui accessit magna pars ex Graecanicis Joannis Stobaei collectariis *(sic)*, per Hieronymum Verlenium. . . Lovanii ex officina Bartholomei Gravii 1550. 1 vol. 8⁰.

Quem libellum, quae est eius raritas, ne Schweighaeusero quidem diligentissimo Epicteti perscrutatori inspiciendi facultas olim data est; solum titulum se cognovisse ait ex Maittarii annal. typogr. t. V p. 365. Post Epicteti enchiridion in 62 capita divisum fragmenta Epictetea, quasi pars altera eius essent, inscriptione generali Ἐπικτήτου ἐγχειρίδιον non mutata sub hoc titulo peculiari Τὰ ἐφεξῆς ἐκ τῶν ἐκλογῶν ἀποφθεγμάτων Ἰωάννου τοῦ Στοβαίου per octo capita (ξγ΄—ο΄) ex argumenti ratione distributa leguntur. Prima excerpta ab ordine in Stobaei editione Trincavelliana servato non recedunt (= flor. ed. Mein. 1, 46—1, 52; 5, 84—5, 106; 1, 54—1, 57; 5, 107—5, 117, etc.; cf. Hensium, 'Die Reihenfolge der Eklogen in der Vulgata des Stobaeischen Florilegium' mus. Rhen. nov. v. XXXIX p. 359 sqq.). Verlenii collectaneis Phrisius quidam nomine Gerardus Loppersum in novo capite (οα΄) fragmentorum seriem subiecit, quam ex florilegio Basileae a. 1549 edito desumptam esse inde perspicuum est, quod nonnullas sexti capitis eclogas aliasque a Gesnero in hac demum editione receptas continet (cf. Hensium l. s. p. 377 sqq.). Lemmata aut adnotationes aut versio latina adiecta non sunt.

2. Arriani Nicomediensis de Epicteti philosophi, praeceptoris sui, dissertationibus libri IIII. . . Jacobo Scheggio medico physico Tubingensi interprete. . . Basileae, per Joannem Oporinum. *In fin.* Basileae, ex officina Joannis Oporini, anno salutis humanae MDLIIII. Mense Martio. 1 vol. 8°.

Quae fragmentorum sylloge, ut Schweighaeuserus l. s. p. XXX adn. recte suspicatus est, ad verbum descripta est ex enchiridio a Verlenio edito omissa tamen typographi notula, quae illic legitur inter capita ο΄ et οα΄.

3. Epicteti enchiridion. . . Graece et Latine. . . Hieronymo Wolfio interprete. . . Basileae, per Joannem Oporinum. *In fin. tomi II* Basileae, ex officina Joannis Oporini, anno salutis humanae, MDLXIII. Mense Martio. 3 voll. 8°.

T. II p. 367—381 leguntur 'Epicteti sententiae aliquot e Joannis Stobaei collectaneis, ex iis (ut conjicimus) Arriani commentariis, quibus ille (ut auctor est Simplicius) vitam et obitum Epicteti copiose descripsit. Hieronymo Wolfio interprete'. Est autem versio latina eorum, quae graeca exstant in collectione Verleniana. Nec ordo fragmentorum diversus est, sed distribuuntur in 52 capita minora, quibus tituli praefiguntur ex argumento petiti. P. 382 Wolfius 'annotationem' adiecit 'locorum aliquot Oporinianae editionis anni 1554, quae emendationem postulare videntur'.

4. Epicteti . . . sententiae CXVI. e Joannis Stobaei Antonii et Maximi collectaneis excerptae . . . Hafniae, sumt. Joach. Moltkenii. 1629. latine. 1 vol. 12°.

Rarissimus hic liber est mihique non nisi ex Fabricii bibl. gr. v. V p. 77 ed. Harl. notus. Quem fortasse Meibomius (de quo vid. infra), cuius in indice editionum sub anno 1629 commemoratur, cum suam collectionem concinnaret, secutus est.

5. Arriani ars tactica . . . Epicteti enchiridion, ejusdem apopthegmata *(sic)* et fragmenta, quae in Joannis Stobaei florilegio, et in Agellii *(sic)* noctibus Atticis supersunt . . . Ex recensione . . . Nicolai Blancardi. Amstelodami apud Janssonio-Waespergios 1683. 1 vol. 8°.

Habes Epicteti apophthegmata 'ex Joannis Stobaei eclogis moralibus' p. 405—428 ita exarata, ut versioni Wolfianae graeca e florilegii editione Wecheliana (Francof. a. 1581) adposita legantur. Stobaeanis autem Blancardus p. 429—430 "Ἀποσπασμάτια e Marci Aur. Ant. libris' addidit, scilicet πρ. ἑαυτ. 4, 41; 7, 19; 11, 34; 11, 36; 11, 37. Nec desunt p. 431—435 nonnulla fragmenta ex A. Gellio deprompta: noct. Att. 1, 2; 17, 19; 19, 1. Ceterum loci ex Antonino et Gellio petiti more a Wolfio in Stobaeanis instituto capitibus varium in modum inscriptis adsignati sunt.

6. Epicteti manuale et sententiae. Quibus accedunt tabula Cebetis et alia affinis argumenti, in linguam latinam conversa a Marco Meibomio . . . Cura Hadriani Relandi. Traiecti Batavorum. Ex officina Gulielmi Broedelet, bibliopolae CIↃIↃCCXI. 1 vol. 4°.

Sunt fragmenta CXXVIII, quae leguntur graece et latine p. 90—151 insignita titulo 'Epicteti sententiae ex Joanne Stobaeo'. At Stobaei sunt tantummodo fr. 1—92 et 124—128, cum reliqua e Maximi 'eclogis' et 'melissa' Antonii hauserit editor Gellio Antoninoque neglectis. Stobaeana ordinem tenent florilegii editionis Basileensis (=1, 46—1, 53; 2, 30; 3, 77—3, 78; 4, 92—4, 95; 5, 84—5, 117 etc.). Quo in numero duo reperiuntur loci, quorum alter etiamnunc exstat in diatribis, alter in enchiridio legitur: fr. 8 = flor. 1, 53 = ench. c. 42 et fr. 128 = flor. 108, 80 = diatr. I 6, 26 sqq. 'Notis in sententias Epicteti' satis pusillis, quas fragmentis subiecit Meibomius, ad rem criticam nihil fere inest momenti (cf. Schweighaeuserum

ad fr. 6 et 7). Satis enim habuit vir doctus variam lectionem ex Epicteteorum sylloge Basileensi a. 1554 et florilegii editione Veneta et Francofurtensi enotasse ratione, quae inter has editiones intercedit, minime perspecta.

7. Epicteti quae supersunt dissertationes ab Arriano collectae nec non enchiridion et fragmenta graece et latine . . . Recensuit, notis et indice illustravit Joannes Uptonus . . . Londini MDCCXLI. 2 voll. 4⁰.

Quae exhibentur 'Epicteti fragmenta ex Joanne Stobaeo Antonio et Maximo' v. II p. 739—785 numerum complent CXXXVI. Sed ne his quidem contentus triginta duo alia ex Antonio Maximoque addidit Uptonus p. 786 sqq., 'quae', ut ipsius verba adferam, 'partim Epicteto partim aliis attribuuntur'. Nec in priore parte desunt eclogae, quarum origo Epictetea ne Antonii quidem Maximique consensu fulciri possit; sunt quae Epicteto dentur ab altero, ab altero alii (cf. e. g. quae adnotavit Schweighaeuserus ad fr. 115). Quid quod eo processit Anglus, ut inter Epictetea recipere non dubitaret quibus philosophi nomen omnino nusquam additum est. Etenim quotienscunque post eclogam Epicteteam apud Stobaeum, Antonium, Maximum unam pluresve invenerat anepigraphas, tamquam Epicteteas ambabus eas arripuit (cf. Schweighaeuserum ad fr. 73—75. 108. 109, eundem t. III p. 179). Prae qua temeritate non premendum duco, quod excerpta Stobaeana ab iis, quae e Maximo Antonioque ducta sunt, separanda non curavit. Ne longus sim, praeterquam quod Meibomii aliquot vitia correxit Uptonus velut sententiis illis, quas supra commemoravi in Arriano adhuc legi, recte seclusis, Uptoni sylloge veris adeo falsa immiscuit dubiaque, ut copia sua prioribus illam quidem praestare facile concesserim, fide non item.

8. Epicteteae philosophiae monumenta . . . recensuit Joannes Schweighaeuser. Lipsiae 1799—1800. 5 voll. 8⁰.

Ut patefiat, quam rationem inierit editor illustris in tractandis fragmentis, quae 'ex deperditis Epicteti sermonibus' operis sui t. III p. 63 sqq. inseruit, ipsius verba adponere liceat, quibus usus est in 'notis et emendationibus' collectioni subiectis p. 180: 'Nos enim ea statim Fragmenta, quae primum ab anonymo Basileensi editore [editionem Verlenianam inspiciendi Schweighaeusero copiam non fuisse supra monui], tum a Meibomio et Uptono collecta sunt, eadem serie, qua Uptonus illa digessit, . . . exhibuimus: Graeca vero, ubi opus videbatur, sive ex veterum editionum collatione, sive ex coniectura, ut quaeque vel certissima vel maxime probabilis occurrebat, correximus; Latinamque item interpretationem adhibita praesertim Wolfii versione, passim emendavimus: deinde Fragmenta nonnulla, a superioribus editoribus praetermissa, istis adjecimus.' Tantum igitur abest, ut priorum licentia ei cesserit cautioni, qua in eius modi collectionibus opus erit, ut Schweighaeuseri editionem plane ad Uptonianae exemplum conformatam esse liqueat. Concedo suspectavit locos nonnullos, quos nimis liberaliter ab Uptono inter fragmenta receptos vidit, sed ut neque ipse sibi constans fuerit neque ea, quam res postulat, severitate usus sit. Nam cum fontem errorum, quibus priores implicati erant, non satis perspexisset, fieri non poterat, quin (licet in singulis nonnulla rectius administraverit) mox ipse in eosdem de Maximi praesertim Antoniique auctoritate errores recideret. Neque igitur mirum est, quod etiam sententiarum collectio (ἀνδρῶν ἐπισήμων γνῶμαι) Frobenii 'scriptoribus aliquot gnomicis' (Basileae a. 1521) inserta, quam e Maximo derivatam esse nuper docuit Wachsmuthius mus. Rhen. nov. v. XXXVII p. 506 sqq., digna ei videbatur, quam excerperet. Ordo autem, quem in digerendis frustulis constituit, quam perversus sit, ut alia taceam, vel inde perspicuum fit, quod Ῥούφου ἐκ τοῦ Ἐπικτήτου περὶ φιλίας excerpta Stobaeana (velut fr. 67.

134. 169) vicina collocare noluit. Ad crisin in Stobaei excerptis exercendam praeter opes ab Uptono Meibomioque adhibitas uti ei licuit nova 'florilegii' editione a Schowio incohata, cui quam fides habenda non sit, nuper ab Hensio edocti sumus mus. Rhen. nov. v. XLI p. 27 sqq. Emendationes, quas proposuit Schweighaeuserus, plerumque parvi sunt, aliquando scite excogitatae. Ceterum ne quid iustae laudis detrahere videar viro diligentissimo, non modo locos aliquot, quos praeterviderat Uptonus, ex Gellio, Antonino, Arnobio, Stobaeo denuo recte ille addidit, sed, qua erat huius potissimum partis philosophiae scientia instructus, in illustrandis Epicteti fragmentis operam posuit haud spernendam et locis consimilibus, quoad fieri poterat, congestis et graecitatis indice addito bonae frugis pleno.

9. Theophrasti characteres . . . Epicteti dissertationes . . . fragmenta et enchiridion cum commentario Simplicii . . . (ed.) Fred. Duebner. Parisiis . . . MDCCCXL.

Ut rem brevi praecidam, Schweighaeuseri collectio hoc libro ita iteratur, ut vel eodem ordine perverso sese excipiant fragmenta, quo apud illum. Quamquam delevit aliquot locos, qui absque ulla auctoritate ad Epictetum a prioribus referri ei videbantur, alios crucis signo notavit tamquam fidei suspectae. Sed vel sic critici munere tam neglegenter ille functus est, ut ne eos quidem locos, qui a Stobaeo diserte aliis auctoribus velut Democrito tribuuntur, ex editione eiceret. Nova fragmenta non addidit. Sententias, quae Stobaeo debentur, e codice Parisino (A) a Gaisfordo collato hic illic correxit.

Habes igitur curas criticas, quas in colligendis digerendis explicandis Epicteti fragmentis homines docti usque ad hunc diem collocabant, paucis adumbratas. Quibus curis quid effectum sit, iam iis quae praemisi iudicio meo interposito satis clarum puto: cum sententias illi non

tam paucas certasque quam multas undique constipare studerent caeco quodam ardore abrepti, nemo inventus est, qui, quantum fide inter se vel auctoritate differrent fontes tam diversae aetatis adhibiti, ea qua par erat diligentia examinaret. Quo gravissimo negotio neglecto facile eo devenerunt temeritatis, ut gnomologia inferioris vel infimae aetatis vix minoris facerent quam scriptores auctoritatis omnibus probatae. Quod iudicium meum quamvis non nescius sim neque novum esse neque inexspectatum, postquam iam Boissonadius olim uno saltem exemplo eoque Epicteteo priorum credulitatem aperuit (Boiss. an. gr. v. I p. 132 adn. 2; cf. Gildemeisterum Herm. v. IV p. 90 n. 32; H. Schenkelii Pyth. Vind. n. 34 = stud. Vind. v. VIII p. 269) nostrisque diebus Wachsmuthii potissimum et Lortzingii studiis id effectum est, ut certius iam iudicare liceat de collectione praesertim Byzantina, cui inscribitur ἐκ τῶν Δημοκρίτου Ἰσοκράτους Ἐπικτήτου (vid. Wachsm. 'Stud.' p. 162 sqq.), tamen haud inutile existimaverim singulis certisque exemplis comprobare, quam lubricae sint et fallaces rationes eorum, qui fragmenta 'Epictetea' e Maximi Antoniique farragine vel e gnomologiis Byzantinis, quibus illi utebantur, recipere non dubitabant. Atque ut a Boissonadii quam commemoravi observatione, ut par est, exordium sumam, in Epict. fr. 154 Schw. Ἡ τῶν περιστάσεων ἀνάγκη τοὺς μὲν φίλους δοκιμάζει τοὺς δὲ ἐχθροὺς ἐλέγχει 're diligentius perpensa' intellexit ille l. s. 'de nomine Epicteti dubitationem esse non exiguam. Antonius enim, cuius auctoritate Uptonus est usus, ut Epictetum illa sententia et proximis nonnullis ditaret, lemma exhibet S. 135 p. 214 valde ambiguum: *ex dictis et sententiis Epicteti Isocratis et Democratis*'. Quae quidem observatio, si summam spectas, probe inventa ut accuratius nunc illustretur, sciendum est sententiae, de qua agitur, in Antonio, Maximo, melissa Au-

gustana peculiare lemma non adscriptum esse, sed ei, quae hanc proxime praecedit, scilicet verbis Ἐν εὐτυχίᾳ φίλον εὑρεῖν εὐπορώτατον, ἐν δὲ δυστυχίᾳ πάντων ἀπορώτατον (= Epict. fr. 127 Schw.) adhaerere lemma Ἐπικτήτου (si Gesnero fides est) apud Anton. I c. 24 p. 29, lemma 'ex dictis et sententiis Epicteti Isocratis et Demonactis' apud Maxim. c. 6 p. 192 Rib., denique ἐκ τῶν Ἐπικτήτου Ἰσοκράτους καὶ Δημονάκτου in mel. Aug. c. 11 n. 68 teste Wachsmuthio, qui utramque sententiam gnomologio Democrito-Epicteteo (ut brevius loquar) a se restituto inseruit n. 153 et n. 155. Cum igitur ex hoc gnomologio Byzantino duae, de quibus sermo est, sententiae in parallelorum, qui dicitur, librum pervenerint a Maximo, Antonio aliisque postea excerptum, quivis opinor videt alteri tantum lemmati, quod apud Maximum et in melissa Augustana (etsi paululum corruptum) legitur, ἐκ τῶν Ἐπικτήτου Ἰσοκράτους καὶ Δημονάκτου fidem habendam esse, cum Ἐπικτήτου lemma, quod Antonio tribuit Gesnerus, non pluris aestimandum sit quam Ἰσοκράτους illud, quod sententiae Ἡ τῶν περιστάσεων κτέ addidit Apostol. cent. VIII 71d vel Δημώνακτος, quod idem verbis iisdem adscripsit cent. XII 87b. Epictetea igitur esse verba, a quibus profecti sumus, adeo certum non est, ut tres potius scriptores, e quibus optio perdifficilis esset, tamquam aemuli certarent de his sententiis ut de reliquis, quae ex gnomologio illo fluxerunt (cf. exempla a Lortzingio enarrata 'Ueber die eth. Fragm. Demokrits' p. 13), si modo re vera illud non nisi ex dictis Epicteti, Isocratis, Democriti conflatum esset. At quod Wachsmuthius commentationis de gnomologio Palatino inedito p. 41 in clara luce posuit Dem.-Epicteteae collectioni permulta etiam inserta esse, quae Pythagorae vel Pythagoreorum sapientiae tribui solebant, id ipsum cadit in verba supra exscripta. Sententia Ἡ τῶν περιστάσεων ἀνάγκη — ἐλέγχει legitur in

Pythagoreorum gnomis Vindobonensibus ab H. Schenkelio nuper editis n. 34 (= Pyth. Syr. n. 32), ut vel hinc intellegatur, quam falleretur si quis, ut Epicteti vel Isocratis esse sententiam demonstraret, moneret περιστάσεων vocem Arriano esse perfamiliarem vel verba Ἡ τῶν περιστάσεων ἀνάγκη τοὺς μὲν φίλους δοκιμάζει congruere quadamtenus cum Ps.-Isocrateae ad Demon. orat. § 25 Δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας κτέ (= gnomol. Byz. n. 149). Sed etiam alterius sententiae supra commemoratae Ἐν εὐτυχίᾳ φίλον κτέ origo aperta est: legitur inter Democratis q. d. sententias n. 72 ionismi vestigiis aliquot servatis, ut si stare poterit iudicium, quod de Ps.-Democrate fecit Lortzingius l. s. p. 11, inter Democriti potius fragmenta recipienda sit sententia, certe eicienda ex Epicteto.

Uno alterove igitur exemplo luculentiore proposito vix vereor, ne in temeritatis crimen incurram, si haec iam generalius de gnomologio Dem.-Epicteteo statuo: primum ab Epicteto aliena sunt quae Ps.-Democratis collectione potius Democriti esse docemur, cuius generis praeter locum supra memoratum (gnomol. Byz. n. 153 = Epict. fr. 127) est Epict. fr. 156 (= Ps.-Democr. n. 69), quibus locis statim addere iuvat eos, qui eidem Democrito tribuuntur ab aliis auctoribus, maxime ab Ioanne Stobaeo: Epict. fr. 110 = Stob. flor. 5, 77 (Δημοκρίτου); Epict. fr. 122 = Stob. flor. 43, 33 (Δημοκρίτου); Epict. fr. 125 = Stob. flor. 5, 23 (Δημοκρίτου); Epict. fr. 129 = Stob. flor. 17, 26 (Δημοκρίτου); Epict. fr. 144 = Democrit. ap. Plut. de tranq. c. 4 p. 466 E (vid. quae monuit Hirzelius Herm. v. XIV p. 366 sqq.); Epict. fr. 145 (pars posterior) = Stob. ecl. II 31, 94 W. (Δημοκρίτου).

Nec minus ab Epicteti reliquiis procul habendos esse adparet eos Byzantinae collectionis locos, quos Pythagoreae vel Ps.-Pythagoreae prosapiae esse aliunde comper-

tum habemus. Removeantur igitur: Epict. fr. 101 = Pyth. Vind. n. 12; Epict. fr. 108 = Pyth. Vind. n. 70; Epict. fr. 114 = Pyth. Vind. n. 77; Epict. fr. 118 = Pyth. Vind. n. 1; Epict. fr. 120 = Pyth. Vind. n. 26; Epict. fr. 151 = Pyth. Vind. n. 94; Epict. fr. 154 = Pyth. Vind. 34, a quo loco supra profecti sumus. Satis autem habui laudasse Pythagoreorum gnomas Schenkelii cura nuper e codice Vindobonensi editas, non modo quod omnium huius generis collectionum, quas quidem novimus, locupletissima est, sed quod ibi etiam reliquos testes diligentissime collectos reperies. Si quis autem moneat huius ipsius syllogae 'Pythagoreae' originem nondum satis exploratam esse, ut neque quibus ex fontibus ea hausta sit, neque qua ratione singula exemplaria inter se cohaereant, omni ex parte enucleatum sit [1]), respondebo eo magis hodie opus esse cautione, ne Epicteto obtrudantur sententiae, quas e Pythagoreorum gnomis in collectionem Dem.-Epicteteam pervenisse probabile est iis, quae de indole huius collectionis et fontibus additurus sum. Neque enim quemquam hodie potest fugere, postquam Wachsmuthius gnomologium Dem.-Epicteteum in integrum restituere conatus est fontesque eius docte illustravit [2]), praeter sententias Pythagoreas ne aliorum quidem auctorum locis aditum ad hoc gnomologium praeclusum fuisse iisque a Democrito, Epicteto, Isocrate aeque alienis. Quod ut inscriptione generali, quae apud Wachsmuthium est p. 166 (Γνῶμαι κατ' ἐκλο-

---

[1]) Non deesse in sententiarum Pythagoricarum collectione locos ex disciplina Epicurea petitos, sive quia nomina auctorum olim traiecta vel confusa erant, sive quia ipsi Pythagorei posteriores, quod aliunde scimus, Epicuri hortum non praeteribant, observavit nuperrime Usenerus Epicur. p. LX sqq.

[2]) Gnomologii Byzantini aliquot locos (n. 77. 111. 189) tetigit nuper Usenerus in Epicureis.

γὴν ἐκ τῶν Δημοκρίτου καὶ . . . Ἐπικτήτου καὶ . . . Ἰσοκράτους καὶ ἑτέρων φιλοσόφων), ita gnomologii contextu comprobatur. In re aperta ne longius exspatier, iis me contineo locis, quos inter Epicteti fragmenta homines docti recipere ausi sunt: Epict. fr. 137 = gnomol. Dem.-Epict. n. 210 et Epict. fr. 141 = gnomol. Dem.-Epict. n. 142 Socrati adscribit Stobaeus flor. 5, 37 et 13, 47; Epict. fr. 142 = gnomol. Dem.-Epict. n. 140 Zenonis apophthegma est apud Laert. Diog. VII 23, Stob. flor. 36, 19; Epict. fr. 152 = gnomol. Dem.-Epict. n. 53 ad Aristotelem refert Stobaeus ecl. II 31, 47 W. Neque igitur dubito, quin etiam quattuor hae sententiae ex Epicteteis exturbandae sint. Nihil enim ageret, si quis, ut sententias illas tamquam Epicteteas tueretur, moneret non modo cum Stoicorum sapientia sed etiam cum Socratica, quae fertur, Epicteteis artissimam fuisse necessitudinem. Quis hoc ignorat? Sed varia gnomologii Byzantini origine iam perspecta nisi volemus quasi in clara luce caecutire, aut Stobaei Laertiique testimoniis confidendum est aut aliud testimonium excitandum quam gnomologii Byzantini non modo Democriti, Isocratis, Epicteti sed etiam aliorum sententiis genuinis spuriis referti. Quid quod vel poetarum versibus collectionem Dem.-Epicteteam ditare vel interpolare non dubitabant? Iambum nescio cuius poetae habemus gnomol. n. 110: Τῶν εὐτυχούντων ἀνταγωνιστὴς φθόνος; heroum ib. n. 135: Γῆρας καὶ πενία δύο τραύματα δυσθεράπευτα; tres alios senarios, quos tamquam aliena manu illatos uncis saepsit Wachsmuthius, legimus ib. n. 254. 261. 262. Aliae sententiae ita comparatae sunt, ut leni vel transpositione vel mutatione facile metro adstringantur, quarum nonnullas agnovit Bywaterus, elegans gnomologii Barocciani editor. Veluti gnomol. n. 120 verba Οὐδεὶς ἐλεύθερος ὁ ἑαυτοῦ μὴ κρατῶν Anglo duce sic fortasse in iambi speciem transfor-

manda sunt: Οὐδεὶς ἑαυτοῦ μὴ κρατῶν ἐλεύθερος. Item versus, fortasse Menandri, latere videtur Bywatero n. 248 in verbis Ἑαυτὸν τιμωρεῖται πᾶς ὁ μετὰ λύπης βιῶν, ubi τιμωρὸς αὑτοῦ coniecit Fridericus Schoellius, αὑτὸν κολάζει fortasse praeferent alii. Trochaicum tetrametrum elicere studet Meinekius n. 134: Ταὐτόν ἐστι νεκρὸν ἰᾶσθαι καὶ γέροντα νουθετεῖν, ubi libri ἰατρεύειν. Utut de singulis iudicabitur, certe hinc vel maxime adparet, quam non continuerit sese gnomologii conditor Byzantinus triumviris illis, quorum nomina libellus in fronte habet. At ne metrica quidem harum eclogarum forma plus minus aperta prohiberi se passi sunt Epicteti editores, quominus duas saltem in fragmentorum farraginem suam reciperent. Unam ex his iam supra explosimus, quippe quam Pythagorae tribuat Stobaeus (flor. 6, 51), alii: sunt verba Οὐδεὶς ἐλεύθερος ἑαυτοῦ μὴ κρατῶν = Epict. fr. 114; altera est gnomol. n. 110: Τῶν εὐτυχούντων ἀνταγωνιστὴς φθόνος = Epict. fr. 164. Quo in iudicio ut non nescius sum in Arriani dissertationibus vel enchiridio haud raro versus adscitos esse, praecipue Euripideos, ita minime sufficere posse hanc observationem ad infirmanda ea, quae de gnomologii Byzantini origine patefacta sunt, vix est cur longius exponam.

Loci, quos in prioribus perlustravimus, eius modi sunt, ut certis causis adpareat ex Epicteti fragmentis eos excludendos fuisse: venimus ad alteram classem eorum, quos Epicteti esse nec adfirmari possit nec praefracte negari. Sunt autem hice: Epict. fr. 97 = gnomol. n. 30; Epict. fr. 102 = gnomol. n. 62; Epict. fr. 103 = gnomol. n. 179; Epict. fr. 104 = gnomol. n. 181; Epict. fr. 106 = gnomol. n. 58; Epict. fr. 111 = gnomol. n. 188; Epict. fr. 115 = gnomol. n. 235; Epict. fr. 119 = gnomol. n. 2; Epict. fr. 124 = gnomol. n. 63; Epict. fr. 126 = gnomol. n. 65; Epict. fr. 128 = gnomol. n.

250; Epict. fr. 131 = gnomol. n. 84; Epict. fr. 132 = gnomol. n. 75; Epict. fr. 138 = gnomol. n. 211; Epict. fr. 139 = gnomol. n. 57; Epict. fr. 143 = gnomol. n. 125; Epict. fr. 150 = gnomol. n. 47; Epict. fr. 153 = gnomol. n. 166; Epict. fr. 155 = gnomol. n. 158; Epict. fr. 157 = gnomol. n. 170; Epict. fr. 158 = gnomol. n. 245; Epict. fr. 159 = gnomol. n. 246; Epict. fr. 161 = gnomol. n. 55; Epict. fr. 162 = gnomol. n. 113; Epict. fr. 163 = gnomol. n. 109; Epict. fr. 165 = gnomol. n. 241; Epict. fr. 166 = gnomol. n. 107; Epict. fr. 167 = gnomol. n. 108; Epict. fr. 168 = gnomol. n. 242. Quorum numerum haud infrequentem esse non mirum est, ubi de gnomologio agitur, cuius in lemmate per se ambiguo ἐκ τῶν Δημοκρίτου Ἰσοκράτους Ἐπικτήτου intellectum sit ubique addendum esse vel subaudiendum: καὶ ἑτέρων. Accedit quod sententiis in gnomologium receptis, quibus praescribitur, ut Wachsmuthii verbis utar, 'Deo grata severa liberaque ab omni perturbatione vita' (cf. sat. Saupp. p. 38), peculiaris cuiusdam philosophicae doctrinae nota raro impressa est, dialectus autem, fuga hiatus aliaque orationis indicia, quibus ad discernendos auctores apte uti possis, Byzantini auctoris vel librariorum sive consilio sive oscitantia paene omnia deleta sunt. Qua de re lectu digna sunt quae cum cura exposuit Lortzingius l. s. p. 14. Denique ne argumentum praetermittam, quo ad dubiam incertamque indolem eorum locorum, de quibus nunc dicimus, illustrandam festivius vel aptius adferri posse vix crediderim: Epicteti editores quae receperant fragmenta tamquam Epictetea, eadem ne Democriti quidem vel Isocratis editores eripi sibi passi sunt. Mitto quod Orellius (opusc. sent. et mor. t I p. 90 sqq.), cum fontis unde hausit naturam non satis haberet perspectam, inter Democritea olim rettulit gnomol. n. 57 = Epict. fr. 139; gnomol. n. 170 = Epict. fr. 157; gnomol n. 245 =

Epict. fr. 158; gnomol. n. 246 = Epict. fr. 159: haec omnia sobrio iudicio iam Mullachius inter spuria relegavit editionis suae n. 37. 32. 28. 29. Magis fortasse mireris huius modi locos remansisse vel in Isocratis orationum editione Benseleriana altera a Blassio nuper curata, ubi inter 'apophthegmata' Isocratea, quae volumini alteri (Lipsiae ed. a. 1885) adhaerent, leguntur non solum gnomol. n. 113. 241. 107. 108. 242 = Epict. fr. 162. 165—168, sed comparet etiam ecloga Νόμῳ καὶ ἄρχοντι καὶ τῷ σοφωτέρῳ εἴκειν κόσμιον (gnomol. n. 64 = Epict. fr. 125), quam Democrito adsignari a Stobaeo flor. 5, 23 iam supra monuimus. Neque enim nimiam istam liberalitatem inde satis excusari puto, quod apophthegmatum Isocrateorum hanc appendicem minoribus litteris exarandam curaverunt editores tamquam dubitationi obnoxiam, certe secludenda erant quae ab Isocrate aliena esse potest demonstrari. Rectiore iudicio usum esse Mullachium in Democriti editione modo vidimus. Sed paene verendum est, ne idem Charybdi feliciter vitata quasi in Scyllam inciderit, cum sententias aliquot, quas a Democrito abiudicaverat, ad Epictetum revocaret: gnomol. n. 57. 245. 246 (= Epict. fr. 139. 158. 159) oblitus ut videtur eorum, quae ipse p. 378 recte praeceperat: 'magna opus est cautione, ne quae apud Antonium et Maximum leguntur Democriti, Epicteti et Isocratis fragmenta, ea uni ex illis tribus temere assignemus. Confugiendum enim semper est ad Stobaei aliorumque veterum qui fide digni sunt auctoritatem'. Ac primam quidem harum sententiarum (gnomol. n. 57) putat a Schweighaeusero non iniuria inter fragmenta Epicteti receptam esse, quia ei apud Anton. I 21 p. 26 Epicteti nomen adicitur; duas reliquas Epict. fr. 158 Εἰ βούλει ἄλυπον βίον ζῆν, τὰ μέλλοντα συμβαίνειν ὡς ἤδη συμβεβηκότα λογίζου et Epict. fr. 159 Ἄλυπος ἴσθι μὴ τὴν ἀπάθειαν ὡς τὰ ἄλογα τῶν ζώων μηδὲ τὴν ἀλογίαν

ὡς οἱ ἄφρονες. ἀλλ' ὡς ἐνάρετος τὸν λόγον τῆς λύπης ἔχων παραμύθιον Epicteti esse scribendi genere satis probari adserit. Quod ad fr. 139 attinet, iam in propatulo nunc est eo, quod in gnomologio Dem.-Epicteteo legitur sententia, de origine eius nihil effici, licet hoc loco cum Antonio concordet melissa Augustana in unius Epicteti nomine adscribendo teste Wachsmuthio 'Stud'. p. 175. Alteram autem eclogam quamquam concedo orationi philosophi haud absimilem esse, notum est enim, quot sententiae Epicteti a verbis εἰ βούλει . . . incipiant, tamen vel hanc ita comparatam esse nego, ut certi quid statui possit. Tertiam denique sententiam tantum abest ut Epicteti esse concedamus, ut non deesse videatur, cur in suspicionem vocanda sit. Eandem enim vocem ἐνάρετος, propter quam Mullachius hoc fragmentum a Democrito abiudicavit, etiam ab Arriani Epicteteis alienam esse recte, ni fallor, observavit Schweighaeuserus t. III ind. gr. p. 315.

Ut igitur quae de gnomologio Dem.-Epicteteo dixi paucis comprehendam, ad Epicteti fragmentorum numerum via ac ratione augendum utilitatem praebet parvam. Inesse collectioni praeter Democriti, Isocratis aliorumque sententias etiam Epicteteas diserte id quidem confirmatur testimonio Stobaei, qui Epict. fr. 92 (= gnomol. n. 27) ipse quoque ad Epictetum rettulit flor. 121, 27 (cui accederet gnomol. n. 131 = Epict. fr. 89, quod Epicteto tribuitur flor. 110, 22, nisi eadem sententia etiam cum lemmate Σωκράτους exstaret flor. 1, 86), plures autem inesse quamquam inscriptio libri pollicetur, sola lemmatum ope in hoc illove exemplari adscriptorum demonstrari nequit. Observatio haec, quae iam Boissonadium, Schweighaeuserum, Mullachium data occasione prorsus fugere non poterat, nobis generaliter pronuntianda erat, iam ut ad omnes illos locos pertineat, quos supra

inter ambiguos rettulimus. Sic denuo integranda tota quaestio et quasi retexenda est ex doctrina Epicteti et oratione argumentis petitis. Quam rationem ut altius persequi vires meas hodie egreditur, ita uno saltem exemplo rem illustrare libet. Velut gnomol. n. 30 = Epict. fr. 97, quod supra primo loco in ambiguorum classi commemoratum est: Παῖδας μὲν ὄντας ἡμᾶς οἱ γονεῖς — ἐσόμεθα adparet haud dissimile esse iis, quae Stoici de ratione (λόγος) homini innata docent vel de daemone unicuique nostrum tamquam custode et paedagogo dato (locos potiores nuper collegit P. Wendlandus quaest. Muson. p. 3 adn. 1), sed ne hoc quidem loco genuina Epicteti verba servata esse pro certo adfirmaverim collato praesertim Arr. diss. Epict. I 14, 12 ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον . . . ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ κτέ.

Restat ut de eorum locorum numero paucis disseratur, qui e reliquis parallelorum libri partibus inter Epicteti fragmenta iisdem ducibus Maximo et Antonio olim relati sunt. Ac si intellectum est nunc, qua cautione opus sit in ipso gnomologio Dem.-Epicteteo Wachsmuthii diligentia instaurato, eo magis adparet, quot quantaeque dubitationes oriantur, ubi ad solas fere Maximi et Antonii editiones Gesnerianas vel Combefisianas adhuc reicimur i. e. ad fundamentum tam instabile, ut pedem tuto infigere vix possis. Nota sunt quae de his editionibus Wachsmuthius commentatione sua 'Ueber das byzantinische Florilegium Parallela und seine Quellen' 'Stud.' p. 90 sqq. dilucide exposuit. Neque enim lemmata singulis sententiis olim adposita apud Maximum Antoniumque semper integra servata sunt neque, si supersunt, inter se ubique concordant, sed saepenumero aut prorsus omissa sunt aut cum aliis commutata. E larga exemplorum copia adfero ea, quae ad Epic-

tetum faciunt. Habes verba Ἃ μὴ δεῖ ποιεῖν μηδὲ ὑπονοοῦ ποιεῖν (Epict. fr. 100) apud Maximum 59 p. 253 Rib. p. 75 Wechel. p. 669 Comb. lemmate Ἐπικτήτου ornata, quod haud scio an Meibomium commoverit, ut inter Epictetea ea reciperet. Quae tamen inscriptio non nisi in Gesneri codice a Ribitto quoque adhibito et in libro, quem Combefisius excussit, exstitisse putanda est, cum Maximi libri ab H. Schenkelio nuper collati Πυθαγόρου potius nomen praebeant. Neque Antonius Maximi editionibus adstipulatur: lemmate enim omisso apud eum I 64 p. 67 Isocrateam nostra excipit sententia, unde Schweighaeusero oratoris Attici esse videbatur. Habemus igitur Epictetum, Pythagoram, Isocratem de hoc fragmento inter se quasi concertantes, quare in adespotis esset ponendum, nisi aliunde lux adfulgeret. Nam Maximi quae in libris est inscriptio cum Pythagoreorum gnomis Vindob., quibus verba Ἃ μὴ δεῖ — ποιεῖν n. 6 inserta sunt, tum florilegio Stobaei confirmatur 1, 20, ubi iisdem pro lemmate Pythagorae nomen adpictum est. Res non minus aperta est in verbis Πατρὸς ὕβρις ἡδὺ φάρμακον · πλέον γὰρ ἔχει τὸ ὠφελοῦν τοῦ δάκνοντος, quae quamquam anepigrapha et apud Maximum leguntur et apud Antonium, ad Epictetum referre non dubitaverunt Uptonus et Schweighaeuserus fr. 148, quia apud utrumque cum nonnullis aliis eclogis Epict. fragmento 145 (Maxim. 23 p. 604 ἐκ τοῦ Ἐπικτήτου ἐγχειριδίου καὶ Ἰσοκράτους, Anton. II 9 p. 91 Ἐπικτήτου) subiecta sunt. At Epict. fr. 145, cuius lemmate etiam nostri loci originem Epicteteam patefieri opinabantur, Democrito potius deberi iam supra monuimus p. 10, quare si vera esset quam in parallelis exhauriendis inierunt rationem, Abderitae potius tribuenda essent verba supra exscripta. Sed perversam esse rationem illam manifestum est collato lemmate Stobaei flor. 83, 22 adscripto, quo Socratis esse fr. 148 discimus.

Haec exempla respiciens nemo mirabitur, quod vel eam admiserunt levitatem editores, ut fragmentum reciperent, cui et apud Maximum et apud Antonium diserte alius potius auctoris quam Epicteti nomen adscriptum est: Epict. fr. 149 = Maxim. 18 p. 589 (Δημοκρίτου); Anton. II 11 p. 92 (s. l. post Solonis sent.) II 15 p. 94 (Σόλωνος). Et re vera est Democriti haec sententia, quippe quae apud Stobaeum flor. 70, 18 a verbis Δημόκριτος ἔφη ὡς κτέ incipiat.

Tria, de quibus modo diximus, fragmenta (n. 100. 148. 149) Stobaei auctoritate ex Epicteteis secludenda erant. Accedunt alia, quarum ipsa forma impedimento esse debebat, quominus Epicteteis insererentur, ut mittam etiam hic de lemmatis adeo securos fuisse editores, ut Epicteto darent locos, quibus nomen philosophi in parallelorum excerptoribus non adscriptum reperiebant. Dico Epict. fr. 117 et 121, quae eo lemmate freti, quod eclogae proxime antecedenti additum videbant, in syllogen receperant Meibomius Uptonusque. Quorum in priore — sunt verba Μέθυσός ἐστιν ὁ τριῶν πίνων πλέων, κἂν μὴ μεθύσῃ ὑπερέβη τὸ μέτρον (= Maxim. 30 p. 618 s. l. post eclogam Epicteteam) — versus incerti cuiusdam poetae latere perspexit Wachsmuthius 'Stud.' p. 143, eosque Usenerus sic fere refingi iubet:

<οὐ> μέθυσος ἐσθ'; ὁ <γὰρ> τριῶν πίνων πλέον
καὶ μὴ μεθυσθεὶς ὑπερέβη <πολλῷ> μέτρον.

Neque in altero fragmento, quod iam Boissonadius in Choric. p. 73 sqq. suspectavit, non possunt iambi agnosci. Nam verba Ὡς ἡδὺ τὴν θάλασσαν ἀπὸ γῆς ὁρᾶν, οὕτως ἡδὺ τῷ σωθέντι μεμνῆσθαι τῶν πόνων (= Maxim. 52 p. 655 s. l. post eclogam Epicteteam; Anton. I 54 p. 61 item) conflata esse ex Archippi versu fr. I com. v. II part. 2 p. 727 M. Ὡς ἡδὺ μὲν θάλατταν ἀπὸ γῆς ὁρᾶν (ἀπὸ τῆς γῆς Stobaei ed. Francof. p. 744, ἀπὸ γῆς εἰσορᾶν Doeder-

linus) et senario Euripideo fr. 131 N. Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων vidit Meinekius Men. et Phil. rel. p. 86. Putasne tam misera ratione Arrianum sententiolas compilasse? Etiamsi nomen Epicteti addidissent Byzantini, ex sylloge Epictetea locos eiciendos esse putarem. Sed longum est et molestum idem semper iudicium denuo quasi decantare. Restat autem haud parvus numerus fragmentorum, quae solo parallelorum libro tradita Epicteto tribuuntur Maximi vel Antonii testimoniis, aut cum proprio lemmate careant, temeraria ista ratione, quae modo in fr. 148 illustrata est, ad Epictetum relata sunt: Epict. fr. 105 (Maxim. 11 p. 556 s. l. post Epict. fr. 104; vid. supra p. 13); Epict. fr. 107 (Maxim. 16 p. 581 s. l. post fr. 106; vid. p. 13); Epict. fr. 109 (Maxim. 7 p. 194 Rib. s. l. post fr. 108; vid. p. 11); Epict. fr. 112 (Anton. I 14 p. 16 s. l. post fr. 111; vid. p. 13); Epict. fr. 113 (Anton. I 14 p. 16 s. l. post fr. 112); Epict. fr. 116 (Maxim. 30 p. 618 s. l. post fr. 115; vid. p. 13); Epict. fr. 123 (Maxim. 58 p. 667 s. l. post fr. 122; Anton. I 67 p. 68 s. l. post fr. 122; vid. p. 10); Epict. fr. 130 (Maxim. 28 p. 614 Ἐπικτήτου; Anton. I 72 p. 73 Ἐπίκτητος ἐρωτηθεὶς κτέ s. l. post fr. 129; vid. p. 10); Epict. fr. 140 (Anton. I 21 p. 26 s. l. post fr. 139; vid. p. 14); Epict. fr. 146 (Maxim. 23 p. 604 s. l. post fr. 145; vid. p. 10; Anton. II 9 p. 91 s. l. post fr. 148; vid. p. 18; Anton. II 15 p. 94 Ἐπικτήτου). Epict. fr. 147 (Maxim. 23 p. 604 s. l. post fr. 146); Epict. fr. 160 (Maxim. 28 p. 614 s. l. post fr. 129; vid. p. 10); Epict. fr. 170 (Maxim. 17 p. 586 Δημοκρίτ.; Anton. I. 50 p. 56 s. l. post Democriteam); Epict. fr. 171 (Maxim. 17 p. 586 s. l. post Democriteam; Anton. I 50 p. 56 s. l. post fr. 170); Epict. fr. 172 (Maxim. 13 p. 206 Rib. s. l. post fr. 137; vid. p. 12); Epict. fr. 173 (Maxim. 13 p. 575 Σωκράτ.).

Huius modi lemmatum auctoritate ne quis properantius abutatur, etsi vix iam verendum est, tamen, ne quid praetermittam, quod alicuius momenti videri possit, utile erit eos locos uno conspectu comprehendere, qui, cum Stobaei testimonio Epicteto adsignentur, a parallelorum excerptoribus sive omnibus sive nonnullis vel eorum editionibus hodie utendis diserte ad alium quendam scriptorem referuntur. Sunt autem hi: Epict. fr. 4 = Stob. flor. 1,49 (s. l. post sent. Epicteti), Maxim. 26 p. 610 (Μοσχίωνος); Epict. fr. 7 = Stob. flor. 1, 52 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 43 p. 639 (Μοσχίωνος), Anton. I 51 p. 57 (item); Epict. fr. 23 = Stob. flor. 5, 88 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 12 p. 571 (Μοσχίωνος); Epict. fr. 24 = Stob. flor. 5, 89 (s. l. post Epicteteam), flor. Laur. p. 239, 16 Mein. (Μοσχίωνος), Maxim. 13 p. 575 Anton. I 36 p. 45 (s. l. post sent. Socratis); Epict. fr. 26 = Stob. flor. 5, 91 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 12 p. 570 (Μοσχίων.); Epict. fr. 37 = Stob. flor. 5, 103 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 15 p. 579 (Μοσχίωνος); Epict. fr. 63 = Stob. flor. 9, 45 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 5 p. 188 Rib. mel. Aug. c. 5 n. 20 (Μοσχίωνος) teste Wachsmuthio 'Stud.' p. 129; Epict. fr. 11 = Stob. flor. 1, 57 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 55 p. 661 Anton. I 65 p. 67 (Ἐπικτήτου), mel. Aug. c. 19 n. 17 (Ῥωμύλου) teste Wachsmuthio l. s. p. 129 adn. 1; Epict. fr. 12 = Stob. flor. 5, 98 (s. l. post Epicteteam), Maxim. 59 p. 669 (Πυθαγόρου). Quibus adde Stob. flor. 20, 48 (Ἀρριανοῦ) = Maxim. 19 p. 594 (Ἀρριανοῦ), mel. Aug. c. 34 n. 14 (Εὐριπίδου) teste Wachsmuthio l. s. p. 153. Possunt autem hi loci, ubi in parallelorum excerptoribus vel eorum editionibus ab Ἐπικτήτου lemmate ex Stobaei titulis noto desciscitur, tamquam veri obrussa adhiberi ad fidem eorum locorum examinandam, quos solis Maximi vel Antonii editionibus freti ad Epictetum rettulerunt. Num tu putas maiore

fide dignas fuisse has editiones in iis locis, quibus Epicteti nomen adscriptum est, quam in iis, quibus adscriptum non est?

Adparet igitur ut in gnomologio Dem.-Epicteteo sic etiam in reliquis parallelorum libri partibus quaestionem, ut nunc res sunt, fere redire ad orationem locorum examinandam et doctrinam. Et quod supra iam monuimus hoc loco iterandum video: etiam ubi certiora quaedam doctrinae Epicteteae vel dicendi generis vestigia agnoscuntur, ibi verendum est, ne parallelorum eclogae distent satis longo intervallo a pristino orationis colore et habitu. Quod ut uno alterove saltem exemplo luculentiore perspicuum sit, Epicteti fragmentorum 24 et 26 formam Stobaeanam et qualem induerunt in parallelorum excerptoribus exadversus pono:

Epict. fr. 24.

Stob. flor. 5, 89 (s. l. post eclogam Epicteteam). Ὥσπερ ἐπὶ σμικροῦ σκίμποδος θλιβόμενον ὑγιαίνειν ἄμεινον ἢ ἐπὶ πλατείας κλίνης κυλινδούμενον νοσεῖν, οὕτω καὶ ἐν μικρᾷ περιουσίᾳ βέλτιον συστελλόμενον εὐθυμεῖν ἢ ἐν μεγάλῃ τυγχάνοντα δυσθυμεῖν.	Maxim. 13 p. 575 Anton. I 36 p. 45 (s. l. post sent. Socratis), flor. Laur. p. 239, 16 Mein. (Μοσχίωνος). Βέλτιόν ἐστιν ἐν μικρᾷ περιουσίᾳ συστελλόμενον εὐθυμεῖν ἢ μεγάλης (μεγάλῃ flor. Laur.) τυγχάνοντα δυστυχεῖν.

Epict. fr. 26.

Stob. flor. 5, 91 (s. l. post eclogam Epicteteam). Οὔτε ἵππος ἐπὶ φάτνῃ καὶ φαλάροις καὶ τάπησιν οὔτε ὄρνις ἐπὶ βρώμῃ καὶ καλιᾷ ὑψοῦται καὶ γαυριᾷ ἀλλ' ἄμφω ἐπὶ ὠκύτητι, ὁ μὲν ποδῶν ὁ δὲ	Maxim. 12 p. 570 (Μοσχίων.). Ὥσπερ οὐ τῷ ἵππῳ κόσμος οὐδὲ τοῖς ὄρνεσι καλιὰ ὑψοῦσθαι καὶ γαυριᾶν δίδωσιν· ἀλλὰ τῷ μὲν τοῦ

πτερῶν · καὶ σὺ τοιγαροῦν μὴ ἐπὶ τροφῇ καὶ σκέπῃ καὶ ἁπλῶς τῇ ἔξωθεν περιουσίᾳ μέγα ὀγκύλλου (sic MTr., nisi quod μετὰ Tr.: μάταια ὀγκοῦ A) ἀλλ᾽ ἐπὶ χρηστότητι καὶ εὐποιίᾳ.

ποδὸς ἢ ὠκύτης τοῖς δὲ τῶν πτερῶν · οὕτως οὐδ᾽ ἀνθρώπῳ καλλωπισμὸς καὶ τρυφὴ ἀλλὰ χρηστότης καὶ εὐποιία.

Duae autem potissimum res his locis inter se collatis animadversione dignae sunt: in priore fragmento gnomologus ille in parallelis adhibitus, sive Moschio fuit sive alius, Epicteti perpolitum dicendi genus et concinnitate et nitore quodam insigne ita amputavit, ut resecta imagine ad rem illustrandam peridonea nihil nisi sententiam retineret; in altero autem fragmento, quod etiam maioris momenti est, non modo colores Epicteteae orationis attenuavit, sed totum locum audacter immutavit demendo addendo interpolando. In quo interpolatoris studio hoc praeter alia memorabile est, quod adlocutionem Epicteti familiarissimam (καὶ σὺ τοιγαροῦν e. q. s.) ille delevit, scilicet ut sententiam indueret forma generaliore habilioremque redderet locum libri eclogarii consiliis.

Sed manum de tabula. Argumentis enim, quae attuli, manifestum puto non solum de lemmatum auxilio, quae nunc est Maximi, Antonii aliorumque excerptorum memoriae condicio, desperandum esse, sed etiam formam et indolem fragmentorum, quae leguntur, a genuina virtute mirum quantum nonnunquam degenerasse. Eo magis igitur is, qui cautiore iudicio utitur, hanc de dubiis parallelorum locis quaestionem differendam esse censebit et procrastinandam, donec codicibus excerptorum editorum ineditorumque melioribus cum fide excussis editiones, quibus artis severitati satisfiat, paratae sint. Solidiore hoc, quod ab Eltero iactum iri sperant, fundamento cui niti licebit, is non dubito quin ad tollendas difficultates, quibus quaestio de parallelorum libro nunc obstricta

et impedita est, paratior futurus sit. Exspectandum igitur, donec nova codicum subsidia in lucem protracta sint — nunc ipsum autem audio Schenkelium in Epictetea incumbere — quibus fortasse etiam de iis fragmentis, quae hodie in dubio relinquenda erant, aliquando ita iudicari poterit, ut omnis dubitatio exclusa sit[1]).

Gnomologio Dem.-Epicteteo libroque parallelorum percensis de frustis ex Gellio, Antonino, Arnobio petitis, quorum scriptorum fides omnibus probata est, non habeo quod addam[2]). Restat igitur, ut de Stobaeo breviter moneam, quos intra fines hodie adhibendus sit. De anthologii autem Ioannei natura ac compositione cum hodie Wachsmuthii potissimum Hensiique opera melius instructi simus, non mirum est, quod haud pauca corrigenda sunt eorum, quae veteres Epicteti editores in Stobaeo exhauriendo olim administrarunt. Quamquam eorum fragmentorum, quae ex Stobaei opere olim temere recepta

---

[1]) Fortasse haud abs re erit quae fragmenta e parallelis petita Epicteto servanda, quae certis causis ab eo abiudicanda, denique quae in dubiis vel suspectis ponenda videantur, secundum Schweighaeuseri collectionem breviter hic indicare. Primi igitur generis sunt: Epict. fr. 4. 7. 11. 12. 23. 26. 37. 63, quibus accedunt quae in parallelis et in Stobaeo Epicteto dantur: scilicet Epict. fr. 92 (= gnomol. n. 27). 30. 31. 36. 44. 45. 54. 58. 61. Alteri adsignavimus: Epict. fr. 101. 108. 110. 114. 118. 120. 122. 125. 127. 129. 137. 141. 142. 144. 145. 151. 152. 154. 156. 164; 100. 117. 121. 148. 149, quae omnia praeter quinque extrema e gnomol. Byz. in parallela fluxerunt. Tertio denique generi adnumeranda sunt: Epict. fr. 105. 107. 109. 112. 113. 116. 123. 130. 140. 146. 147. 160. 170—173; 97. 102—104. 106. 111. 115. 119. 124. 126. 128. 131. 132. 138. 139. 143. 150. 153. 155. 157. 158. 159. 161—163. 165—168, e quibus Wachsmuthius ea, quae enumeravimus inde a fr. 97, gnomologio Dem.-Epicteteo inseruit.

[2]) Epicteti verba a Gellio adlata XVII 19, 3 (= Epict. fr. 179) nuper correctiora quam apud Hertzium leguntur exhibuit Usenerus Epicur. p. 263.

esse ipsis lemmatis manifestum est, magnam partem iam Schweighaeuserus, alia Duebnerus expulit: scilicet Epict. fr. 57 = flor. 7, 18 (Διογένους); Epict. fr. 68 = flor. 19, 14 (Πιττακοῦ); Epict. fr. 73 = flor. 29, 85 (Νικίου) = Plut. Mor. p. 786B; Epict. fr. 74 = flor. 29, 86 (Ἀρχιμήδης) = Plut. l. s.; Epict. fr. 75 = flor. 29, 87 (Λάμπις) = Plut. Mor. p. 787A; Epict. fr. 76 = flor. 34, 15 (Σόλωνος); Epict. fr. 91 = flor. 110, 24 (Θάλητος); Epict. fr. 98 = flor. 94, 30 (ἐκ τῆς ἐπιστολῆς τῆς περὶ φιλίας); Epict. fr. 99 = flor. 94, 31 (ἐν τῷ αὐτῷ); Epict. fr. 133 = flor. 97, 20 (ἐκ τῆς ἐπιστολῆς τῆς περὶ φιλίας). At inesse Stobaei operi etiam locos, quos iniuria spreverunt Epicteti editores, potest demonstrari, de quibus infra disputabo, ubi de lemmatis Stobaeanis seorsum agam. Nunc aliam rem tangam vix minoris momenti. Excerpta enim e florilegio petita quia satis olim habebant ex editionibus nulla codicum ratione habita descripsisse, ordinem secuti sunt plane perversum. Est autem idem ordo, qui a Gesnero in altera sua florilegii editione (Basileae a. 1549) institutus ab omnibus, qui post illum hanc partem operis Stobaeani ediderunt, servatus est. Quem ordinem toto caelo a codicibus distare nuper Hensius commentatione sua, quam supra commemoravi p. 2, demonstravit ita ut dubitatio absit. Gesneri autem temeritati et libidini, qua multi iam iique docti viri, cum ex ordine vulgato de fontibus a Stobaeo exhaustis coniecturas facerent, in fraudem inducti sunt, ea inprimis Epictetea obnoxia fuerunt, quae nunc in primo, tertio, quinto florilegii capite leguntur: 1, 46—1, 57, e quibus flor. 1, 53 adhuc in enchiridii cap. 42 reliquum est, 3, 77. 78; 5, 84—5, 117. Quae sententiae omnes teste Hensio in codicibus primo capiti Περὶ ἀρετῆς inscripto adsignantur, ita ut si exceperis flor. 1, 53, quae ecloga post 1, 68 exstat, longam et continuam seriem quadraginta

septem eclogarum efficientes hoc ordine sese excipiant: 1, 46—1, 52; 5, 84—5, 106; 1, 54—1, 57; 5, 107—5, 117; 3, 77. 78. Gesneri igitur dispositione reiecta, quae quam sit arbitraria et perversa, etiam inde perspicitur, quod ille unam ex eclogis supra citatis, scilicet flor. 5, 98 (s. l. post Epicteteam) Αἰσχρὸν τοῖς τῶν μελιττῶν κτέ invitis codicibus in altero capite n. 30 iteravit, fragmenta, quae Stobaei florilegio largissimo Epicteteorum fonti debentur, secundum codicum ordinem ab Hensio promulgatum excerpenda erunt.

Quoniam de auctoribus dictum est, e quibus Epicteti fragmenta, ut nunc res sunt, hauriri possunt, iam altera quaestio oritur, ad quosnam libros Arrianeos ea referenda videantur. Arrianeos dico. Nam quod Suidas de Epicteto dixit (s. v. Ἐπίκτητος) ἔγραψε πολλά postquam iam Zellerus 'Phil.' [3] t. III 1 p. 739 adn. 2 breviter monuit falsum esse, vix est, cur hodie multis verbis refellatur. Mitto igitur quod haud raro ipse Epictetus tanto contemptu praestringit umbratilem istam e philosophorum libris depromptam doctrinam (cf. e. g. diatr. I 4, 6; 4, 15; 17, 13; II 16, 34; 17, 40; 19, 14; III 21, 7 sqq.; ench. c. 49), ut de consilio tamquam alter Socrates omnino nihil scribere voluisse existimandus sit, quam viri imaginem Arriani diatribarum quavis fere pagina unusquisque sibi informabit. Hoc unum liceat commemorare: si re vera ipse Epictetus sapientiam suam litteris mandasset ipseque peculiares libros nedum multos scripsisset, prorsus mirum fuisse Arrianum, cum in epistula diatribis praemissa ideo se composuisse adfirmaret quae Epictetum disserentem audivisset, ut monumenta in futurum tempus sibi conservaret ingenii illius viri et in dicendo libertatis (ὑπομνήματα εἰς ὕστερον ἐμαυτῷ διαφυλάξαι τῆς ἐκείνου διανοίας καὶ παρρησίας). Manifestum est Suidiani loci, qui

etiam aliis difficultatibus laborat [1]), verba extrema (ἔγραψε πολλά) fide prorsus indigna esse, nec mirabitur id qui cum Suidae opere aliquam familiaritatem contraxerit ac vel primis labris degustaverit studia recentiorum in biographicis eius collocata.

Reiecto Suidae autoschediasmate iam in eo est, ut testimonia reliqua, quae exstant de libris Epicteteis, perlustremus, vel potius Arrianeis. Apertissimum enim erit his ipsis testimoniis, quod iam supra verbo monuimus, unum Flavium Arrianum esse, cui debeatur Epicteteae philosophiae memoria, ita ut quaecunque apud veteres scriptores exstant sententiae Epicteteae, etiamsi Arriani nomine insignitae non sunt, eae ad unam omnes ex Arriani libris Epicteteis repetitae sint [2]). Temporum autem

---

[1]) De Epicteto claudo legitur ibi: πηρωθεὶς δὲ τὸ σκέλος ὑπὸ ῥεύματος, ubi causa, quae additur, non minus ficticia videtur quam ea, quae adfertur a Celso apud Orig. c. Cels. VII 7: certe multo probabilius quod habet Simplicius in Epict. ench. c. 9: χωλὸς ἐκ νέας ἡλικίας. Dudum vero explosus est Suidae de Epicteti aetate error: διατείνας μέχρι Μάρκου Ἀντωνίνου. Stare hoc non posse omnes homines docti consentiunt, ut longum sit repetere ea, quae Gatakerus, Kuesterus, alii recte olim de hac re disputarunt (vid. apud Bernhardyum). Sed vellem causam addidissent erroris, quo lapsus iam Themistius Epictetum ait in honore habitum esse a duobus Antoninis or. V 63 Dind. Fuerit igitur error satis proclivis, cuius ansam fortasse dedit Arriani cum Epicteto praeceptore familiaritas et consuetudo. Videntur autem ea, quae de Arriani 'philosophi Epictetei' aetate recte se habebant (vid. Phot. cod. 58; Suid. s. v. Ἀρριανὸς Νικομηδεύς . . . ἐπὶ Ἀδριανοῦ καὶ Μάρκου καὶ Ἀντωνίνου, ubi καὶ Ἀντωνίνου καὶ Μάρκου proposuit Daubius 'Stud. z. d. Biogr. des Suid.' p. 109 adn.), temere in ipsum Epictetum translata esse. Nec profecto mira haec confusio in duumviris, quorum alter sine altero fere cogitari non potuerit, certe Epictetus non sine Arriano.

[2]) Periit Favorini liber Πρὸς Ἐπίκτητον nec non Galeni Ὑπὲρ Ἐπικτήτου πρὸς Φαβωρῖνον: vid. Marres diss. de Favorini Arelat. vita, studiis, scriptis p. 90 et 134.

ratione in hoc conspectu exhibebo scriptorum locos excepto Ioanne Stobaeo, in cuius opere quae singulis eclogis adscripta sunt lemmata cum varietate quadam et numero insignia sint, ea ad finem relegare quam ceterorum auctorum locis interserere commodius visum est. Ut vero etiam de lemmatis, quae alteri operis Stobaeani parti ('florilegium' adpellari solet) insunt, accurata scientia instruerer, effecit Hensii praeceptoris mei humanitas, qui ut consilio suo nunquam mihi defuit ita librorum quem collegit apparatu editioneque, quam parat, uti mihi concessit liberaliter. Sed iam accipe ipsa testimonia:

Arrianus in epistula, quam diatribis Epicteti praefationis loco praemisit, dicit haec § 1 sqq. ed. Duebn.:

Οὔτε συνέγραψα ἐγὼ τοὺς Ἐπικτήτου λόγους οὕτως, ὅπως ἄν τις συγγράψειε τὰ τοιαῦτα· οὔτε ἐξήνεγκα εἰς ἀνθρώπους αὐτός, ὅς γε οὐδὲ συγγράψαι φημί. Ὅσα δὲ ἤκουον αὐτοῦ λέγοντος, ταῦτα αὐτὰ ἐπειράθην, αὐτοῖς ὀνόμασιν ὡς οἷόν τε ἦν γραψάμενος, ὑπομνήματα εἰς ὕστερον ἐμαυτῷ διαφυλάξαι τῆς ἐκείνου διανοίας καὶ παρρησίας.

A. Gellius noct. Att. I 2 ed. Hertz.:

'iussitque (sc. Herodes Atticus) proferri dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano primum librum'.

ibid. XVII 19:

'Iam illud est vehementius, quod Arrianus solitum eum (sc. Epictetum) dictitare in libris, quos de dissertationibus eius composuit, scriptum reliquit'.

ibid. XIX 1:

'philosophus in disciplina Stoica celebratus . . . librum protulit Epicteti philosophi quintum διαλέξεων, quas ab Arriano digestas congruere scriptis Zenonis et Chrysippi non dubium est'.

M. Antoninus πρ. ἑαυτ. I 7 ed. Stich.:

Παρὰ Ῥουστίκου . . . τὸ ἐντυχεῖν τοῖς Ἐπικτητείοις ὑπομνήμασιν, ὧν οἴκοθεν μετέδωκε.

Arnobius adv. nat. II 78 ed. Reiffersch.:
'cum de animarum agatur salute ac de respectu nostri, aliquid et sine ratione faciendum est, ut Epictetum dixisse adprobat Arrianus'.

Augustinus de civ. Dei IX 5 ed. Dombart.:
'qui tamen, ut docuit liber Epicteti nobilissimi Stoici . . . huiuscemodi passiones (sc. misericordiam) in animum sapientis admittunt, quem vitiis omnibus liberum volunt'.

Simplicius comm. in Epict. ench. praef. init. ed. Duebn.:

Περὶ μὲν τοῦ βίου τοῦ Ἐπικτήτου, καὶ τῆς αὐτοῦ τελευτῆς, Ἀρριανὸς ἔγραψεν, ὁ τὰς Ἐπικτήτου Διατριβὰς ἐν πολυστίχοις συντάξας βιβλίοις· καὶ ἀπ' ἐκείνου μαθεῖν ἐστιν, ὁποῖος γέγονε τὸν βίον ὁ ἀνήρ. τὸ δὲ βιβλίον τοῦτο, τὸ Ἐπικτήτου Ἐγχειρίδιον ἐπιγεγραμμένον, καὶ τοῦτο αὐτὸ συνέταξεν ὁ Ἀρριανός, τὰ καιριώτατα καὶ ἀναγκαιότατα ἐν φιλοσοφίᾳ καὶ κινητικώτατα τῶν ψυχῶν ἐπιλεξάμενος ἐκ τῶν Ἐπικτήτου λόγων.

Photius bibl. cod. 58 p. 17 ed. Bekker.:
ἔγραψε (sc. Ἀρριανός) δὲ βιβλία καὶ ἕτερα, τῶν μὲν διατριβῶν Ἐπικτήτου τοῦ διδασκάλου ὅσα ἴσμεν βιβλία ὀκτώ, τῶν δὲ ὁμιλιῶν τοῦ αὐτοῦ Ἐπικτήτου βιβλία δώδεκα.

Ioannes Stobaeus praeter eos locos, qui etiam nunc apud Arrianum leguntur, Epicteti sententias servavit hisce lemmatis adscriptis:

Ἐπικτήτου flor. 1, 46; 4, 92; 7, 17; 20, 67; 45, 19; 46, 79; 110, 22; 121, 27; 121, 29. Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου flor. 6, 50 [1]). Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου ἀπο-

[1]) Lemma ἐκ τῶν Ἐπικτήτου legitur etiam flor. 34, 14 in cod. Vindobonensi (S) = Tr. p. 176, inde vulg. Sed recipiendum esse ibi ex Escurialensi (M): ἐκ τοῦ Ἐπικτήτου ἐγχειριδίου Hensius me monet: exscribitur ench. c. 33. Alia exsistit quaestio flor. 35, 10,

μνημονευμάτων ecl. I 3, 50 W.; flor. 6, 58 [1]). Ῥούφου ἐκ τῶν Ἐπικτήτου περὶ φιλίας ecl. II 8, 30 W.; flor. 19, 13; 20, 60; 108, 60 [2]). Ἀρριανοῦ flor. 20, 48 [3]).

ubi sub lemmate ἐκ τοῦ Ἐπικτήτου ἐγχειριδίου (sic SMA) duos locos diversos perperam coaluisse, quorum prioris nec in libris enchiridii nec in Simplicii commentario superest vestigium, primus animadvertit Schweighaeuserus ad fr. 77. Confirmatur haec suspicio, ut nunc ex Hensiana editione video, codice Bruxellensi (Br), quippe quo enchiridii locus, qui incipit a verbis ἀπέστω δέ, tradatur solus omissis verbis μηδενὸς οὕτως e. q. s. Ceterum ne quid concludatur ex lemmate Trincavelliano, quod etiam hoc loco reperitur ἐκ τῶν Ἐπικτήτου, vel ea obstant, quae modo monuimus de flor. 34, 14. Omnino ubi reliqui codices vel plerique habent ἐκ τοῦ Ἐπικτήτου ἐγχειριδίου, ed. Trincavelliana scribere solet ἐκ τ̃ (vel τῶν) Ἐπικτήτου (sic), velut flor. 17, 20; 19, 15; 21, 17.

[1]) Lemma Ἐπικτήτου ἀπομνημονευμάτων in florilegio Laurentiano (L) perperam adscriptum est sententiae, quae ibidem cum alia post Stob. flor. 6, 65 exstat. Democrito recte datur locus in S flor. 18, 36: vid. mus. Rhen. nov. v. XXXIX p. 533 sqq. Ad Cleanthis igitur locum, qui Democriteo subicitur in L (= flor. 6, 37, ubi solum Κλεάνθους praemittunt M[d]A), fortasse lemma illud spectare suspicatur Hensius. Ac notum est Cleanthis quam saepe memoria fiat in Arriani diatribis. Sed idem negat suspicionem hanc ita certam esse, ut Cleanthis locum inter Epicteti reliquias recipere liceat. Posse enim Ἐπικτήτου ἀπομνημονευμάτων corruptum esse ex Σερίνου vel Σερήνου ἀπομνημονευμάτων; nam Sereni locus praecedit in MA, scil. flor. 6, 36.

[2]) Prorsus incertum esse lemma, quod elicere volebant flor. 42, 14, adserit mihi Hensius. Nam Φιλοκτήτου, quod mira audacia ex Ῥούφου ἐκ τῶν Ἐπικτήτου corruptum esse coniecit Gaisfordus, nititur solo Tr. p. 205, cum in S hodie nihil fere nisi φιλοι[agnosci possit. Codices autem reliqui locum omittunt. Adparet igitur etiam Ἐπικτήτου, quod tamquam probabilius in textu posuit Meinekius, fundamento carere.

[3]) Lemma habent SMABr = Maxim. c. 19 p. 594 (Ἀρριανοῦ), mel. Aug. c. 34, 14 (Εὐριπίδου, vid. Wachsmuth. 'Stud.' p. 153). Epicteteum, non physicum intellegendum esse, quod locus ipse aperte docet, dubitanter coniecerat Schweighaeuserus p. 197. Mancum videtur lemma Hensio, qui fuisse olim Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου suspicatur.

᾿Αγριππίνου flor. 48, 44; vid. infra p. 46. Ἐκ τῶν Ἀρριανοῦ προτρεπτικῶν ὁμιλιῶν flor. 97, 28. Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου flor. 108, 65. Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου Πρὸς τὸν περὶ οὐσίας ecl. II 1, 31 W. Πύρρωνος flor. 121, 28; vid. infra p. 46.

Perlustratis his veterum testimoniis sponte adparet neminem tam credulum fore, ut quot tituli ab auctoribus commemorantur (λόγοι — ὑπομνήματα — dissertationes — διαλέξεις — διατριβαί — ὁμιλίαι — ἀπομνημονεύματα), totidem etiam diversa Arriani opera Epictetea olim exstitisse sibi persuadeat. Immo ut manifestum est nonnullas harum significationum velut λόγους, dissertationes, διατριβάς ad unum idemque opus Arrianeum, cuius quattuor libri aetatem tulerunt, pertinere (neque enim dubitari posse puto, quin 'Ἐπικτήτου λόγοι ab Arriano et Simplicio commemorati ipsis Arriani 'diatribis' vel 'dissertationibus' contineantur), ita de reliquis titulis quid statuendum sit, ne quis confidentius adripiat eos vel abiciat, accuratius exponendum erit. Placet autem exordium sumere a Simplicii testimonio supra exhibito: Περὶ — ἔγραψεν, unde cur apte proficiscatur disputatio, infra spero apertius erit.

Atque omnes fere homines docti, qui rem attigerunt, hoc Simplicii loco Epicteti vitam ab Arriano peculiari libro conscriptam significari existimant nobis hodie ereptam (cf. Fabric. bibl. gr. v. V ed. Harl. p. 68 adn. w.; ibid. p. 92; Westerm. in Paulyi 'Real-Enc.'[2] s. v. Arrianus t. I 2 p. 1763). Unus Uptonus, qui primus dedita opera hanc quaestionem expedire studuit (cf. Epict. dissert. ed. Upton. t. II adn. ad diss. I p. 5), cum Arrianum de Epicteto praeter enchiridion nihil nisi octo diatribarum libros scripsisse intellexisset, a Simplicio ea potius respici monuit, quae de Epicteti vita et obitu ipsis diatribis ab Arriani digestis data occasione inserta essent. Coniecit enim, ut ipsius verbis utar, 'Arrianum disser-

tationibus nonnulla attexuisse de Epicteti vita atque obitu', quam diatribarum partem hodie perditam respici verbis Simplicii. Uptonianae autem paulo similior sententia, in quam ipse incideram, priusquam legerem viri docti commentationem, adeo mihi in dies magis firmata est, ut librum biographicum, quem de Epicteto Arrianum composuisse ex loco Simpliciano colligebant, nunquam fuisse ausim contendere. Neque enim video, cur de peculiari libro cogitare cogamur in verbis Simplicii interpretandis. Immo si quis libero animo perpenderit haec verba (Περὶ μὲν τοῦ βίου — ἔγραφεν), adeo, opinor, remota ea esse concedet a titulorum brevitate succinctiore, ut quamvis alius operis partem intellegere malit quam peculiarem de vita librum. Cui interpretationi favet, quod biographici libri, quem ab Arriano compositum esse opinabantur, nusquam alibi memoria inicitur. Si vero exstitisset eius modi opus, quod reconditiore quadam rerum scientia non commendari non poterat, quanto putas studio limpidum hunc fontem ac sincerum adiissent ii, qui posteris temporibus de vita philosophi edoceri volebant. Nunc autem notum est, ad quam exiles redeat historiolas quidquid de Epicteti vita non solum ex Simplicii commentariis sed etiam a Gellio, Origine, Macrobio, aliis compertum habemus (locos collegit Zellerus l. s. p. 738 adn. 3). At si talis liber nunquam exstitit, quo tandem Simplicii verba referenda sunt? Solvit, opinor, hanc quaestionem ipse Simplicius, cum eodem enuntiato de Arriano addit ὁ τὰς Ἐπικτήτου διατριβὰς ἐν πολυστίχοις συντάξας βιβλίοις. Amplis igitur diatribarum libris nonnulla etiam, quae ad vitam Epicteti et obitum spectabant, interseruisse Arrianus censendus est. Quamquam de continuo quodam de vita Epicteti commentario vix cogitarim cum Steinharto (vid. 'Allg. Encycl.' s. I t. XXXV p. 452), quem etiam in reliquis de memoria Epictetea quaestionibus proximum

ab Uptono stare infra adparebit. Certe eo erravit Steinhartus, quod eius modi vitam diatribis olim praefixam fuisse statuit. Namque ipsa epistula illa ab Arriano ad L. Gellium data diatribarum praefationis locum obtinet, quam quominus commentario de Epicteti vita olim exceptam fuisse putemus, prohibemur conexu epistulae cum diatribis ex Arriani verbis plane perspicuo. Neque magis intellegitur, quomodo de vita dissertatio, si praecessisset epistulam illam, commode cum diatribarum corpore cohaerere potuerit. Probabilius fortasse conieceris (haec autem videtur Uptoni fuisse sententia) ut praefatione sic etiam epilogo quodam instructas fuisse diatribas vel corollario, quo quae de vita praeceptoris et obitu sciri maxime interest, Arrianus comprehenderat. Nec careri posse puto hac coniectura, quod ad mortem Epicteti attinet; certe decessus philosophi vix aptiore loco ab Arriano enarrari poterat quam in totius operis fine. Sed alia res est in iis, quae pertinebant ad vitam Epicteteam. Poterat in mente habere Simplicius locos illos per diatribas dispersos, quibus Arriano placebat Epictetum de se suisque rebus loquentem introducere. Et re vera in diatribarum libris servatis eius modi loci reperiuntur haud pauci (I 7, 32 Ἐπεί τοι τοῦτ᾽ αὐτὸ καὶ ἐγὼ Ῥούφῳ εἶπον, ἐπιτιμῶντί μοι κτέ, I 9, 29 Οὕτω καὶ Ῥοῦφος, πειράζων με, εἰώθει λέγειν· κτέ, I 16, 20 τί γὰρ ἄλλο δύναμαι γέρων χωλός, II 19, 25 μὴ φθονήσητε ἀνθρώπῳ γέροντι, cf. I 9, 10; III 1, 12; III 1, 36; III 9, 14 etc.), quibus fortasse etiam plures in deperditis operis libris exstitisse putandi sunt, ut quam adpositae fuerint diatribae etiam ad vitam Epicteti accuratius cognoscendam eluceat. Ipsas igitur diatribas Arriani respiciens pergere potuit Simplicius optimo iure: καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου μαθεῖν ἐστιν, ὁποῖος γέγονε τὸν βίον ὁ ἀνήρ. Utut autem in singulis rem nobis informabimus, ex iis quae disputavimus hoc certe adparere puto Simplicii locum non eum esse, ex

quo peculiarem de Epicteti vita librum ab Arriano compositum esse necessario colligendum sit.

Sed videamus, quomodo ii, qui eius modi librum a Simplicio significari autumant, sententiam suam tueantur. Quorum rationes cum hoc inter se habeant commune, ut ex titulorum copia, quam supra exhibuimus, alius alium Simplicii verbis adplicare studeat, iam in campum disputationis latius patentem deducimur. Neque enim adversariorum nobis continget ut opiniones refutemus, quin simul proferatur, quid de testimoniis, quibus usi illi sunt, statuendum nobis videatur.

Ac primum quidem ad lemma, quod apud Stobaeum reperitur, Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου ἀπομνημονευμάτων confugiens fortasse hoc ipso titulo librum de vita Epicteti et obitu illum insignitum fuisse coniecit Schweighaeuserus t. III p. 193. In qua coniectura, ut dicam quod sentio, nihil fere laudari potest nisi quod dubitanter eam protulit vir doctus. Nam sibi ipse diffisus duas superaddidit alias coniecturas, quarum altera aptius commemorabitur infra (p. 47), altera ita se habet, ut quanto praestet ceteris, primo fere obtutu adpareat. Suspicatur enim vir doctissimus 'dissertationum collectioni cuidam a nonnullis titulum Ἐπικτήτου ἀπομνημονεύματα inscriptum fuisse ad imitationem ἀπομνημονευμάτων Socratis a Xenophonte editorum' ut νέου Ξενοφῶντος, qui dicebatur (cf. Fabric. l. s. p. 90 adn. h) nota aemulatio huius libri titulo non minus quam 'anabasi' comprobaretur. Quam lemmatis Stobaeani interpretationem per se aptissimam eo libentius amplector, quo magis hodie notum est, quotiens operibus praesertim clarioribus multumque lectitatis, quale hoc Arrianeum est, temporum decursu subnatae sint titulorum variationes, quarum novitatis specie ne fallamur, cautione opus esse sciunt periti [1]). Observatione hac

[1] Data occasione nolim silentio praeterire coniecturam, quam

bonae frugis plena, quae cum in aliorum scriptorum memoria tum in Sexti Empirici libris recte diiudicandis magni momenti est (vid. Zelleri 'Phil.'[3] t. III 2 p. 40 adn. 2), etiam hanc de Arriani libris Epicteteis quaestionem adiuvari puto, cum praesertim ipse Arrianus testetur diatribas suas nec volente se nec sciente in manus hominum venisse (epist. ad L. Gellium § 4). Nec profecto discrepare ἀπομνημονευμάτων titulum cum diatribarum natura ex Xenophontei libri cum Arrianeo similitudine facile adparet. Rem perspexit Krischius 'Forschungen' p. 365 adn. 1. Ceterum qui de apomnemoneumatis accuratius edoceri volet, adeat Koepkii libellum 'Ueber die Gattung der ἀπομνημονεύματα in der griech. Litteratur' Brandenburgi editum a. 1857 [1]). Si autem recte coniecit Schweig-

in simili re de Zenone Citiensi protulit Zellerus 'Phil.'[3] t. III 1 p. 32 adn. 4, licet de ea non satis convenerit inter homines doctos: 'Dagegen scheinen die Χρεῖαι, aus denen Diog. VI, 91 eine Anekdote über Krates anführt, ebenso wie die von Sextus (Pyrrh. III, 245. Math. XI, 190) genannten Διατριβαὶ, mit den Denkwürdigkeiten des Krates [ἀπομνημονεύματα Κράτητος] identisch gewesen zu sein.' Cf. Hirzelius 'Untersuch.' v. II p. 65 adn. 1. Sed consentaneum est suo quemque modulo metiendum esse. Persaeo Stoico προτρεπτικοί, διατριβῶν, χρειῶν δ', ἀπομνημονεύματα tribuuntur a Laert. Diog. VII 36.

[1]) Percensentur vel respiciuntur hac commentatione apomnemoneumata Xenophontis, Lyncei, Aristodemi, Stilponis, Zenonis, Persaei, Aristonis, Dioscuridis, Diodori, Empedi, Favorini. Fortasse haud inutile erit in memoriam revocare quae scripsit Koepkius p. 6: 'Wenn man nicht die Uebersetzung des Priscian adoptiren will, der die rhetorischen Apomnemoneumata durch commemorationes wiedergiebt, so wird man Ciceros Umschreibung die bezeichnendste finden, wenn er (de nat. deor. 1, 12) den Xenophon citirt in iis, quae a Socrate dicta rettulit, oder die des Gellius (noct. att. XIV 3), welcher sie Bücher nennt, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios composuit Xenophon. Diese Uebersetzungen liefern eine Stütze zu dem Beweise, dass wir in den Apomnemoneumaten Erinnerungen an Reden und Thaten zu suchen und zu finden haben.'

haeuserus ἀπομνημονεύματα a diatribis non fuisse diversa, quae suspicio etiam eo confirmatur, quod διατριβῶν titulum Stobaeus plane ignorat, simul concidit altera ista eiusdem viri docti opinio, a qua profecti sumus.

Aliam viam ingressus est Zellerus l. s. p. 739 adn. 2. Qui cum inter veterum testimonia circumspiceret quod Simplicii verbis optime conveniret, Photii locum: τῶν δὲ ὁμιλιῶν τοῦ αὐτοῦ Ἐπικτήτου βιβλία δώδεκα huc referendum esse iudicavit. Mitto nunc quaerere, num ὁμιλίαι nomen omni ex parte apte inscribatur libro de vita Epicteti et morte, cuius memoriam iniecisse Simplicium sibi persuasit Zellerus, puto aliud argumentum in promptu esse, quo verum non vidisse virum venerabilem possit demonstrari. Patet enim Simplicium, cum scriberet ὁ τὰς Ἐπικτήτου διατριβὰς ἐν πολυστίχοις συντάξας βιβλίοις, et nobilissimum Arriani opus et amplissimum, quod ipsi notum erat, significare voluisse. Quod ille nisi in mente habuisset, vix voluminum magnitudinem (ἐν πολυστίχοις συντάξας βιβλίοις) diserte memorasset. Iam duae res, si quid video, cogitari possunt. Aut 'homiliarum libri duodecim' diversi fuerunt a 'diatribis', quarum octo (quoad sciat) libros exstitisse adfirmat Photius, tunc illas potius non has dignas putasset Simplicius, quas tam eximia laude commemoraret. Aut homiliarum et diatribarum opus unum idemque erat, tunc eo minus stare poterit Zelleri opinio. Artificia autem sectaretur, si quis eo confugere vellet, ut homilias maiore quidem librorum numero fuisse sed singula volumina minus polysticha quam diatribarum putaret, vel quod etiam improbabilius foret, si quis Simplicio diligentissimo Arriani interpreti opus Arrianeum incognitum fuisse opinaretur, cuius Photius aliquam haberet notitiam. Accedit quod alia exstat Arriani homiliarum notitia, unde vera earum natura facile poterat cognosci. Est Stobaei locus flor. 97, 28, cui lemma inscribitur in libris SMA: Ἐκ τῶν Ἀρριανοῦ προτρεπτικῶν ὁμιλιῶν

(προτρεπτικῶν ὁμιλιῶν om. S)[1]. Quod lemma Zelleri de homiliis iudicio adeo non favet, ut originem erroris Photiani, quo nititur illud iudicium, luculenter aperiat. Nam Stobaei homiliarum excerptum, ut Hensius me docuit, cum enchiridii c. 17 re verbisque ita fere concordat, ut utrumque ad unam eandemque expositionem redire probabile sit. Scimus autem ea, quae in enchiridio leguntur, derivata esse ex diatribis, vel ut Simplicii verbis utar commentarii prooem.: Τὰ δὲ αὐτὰ σχεδὸν καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν ὀνομάτων σποράδην ἐν τοῖς Ἀρριανοῦ τῶν Ἐπικτήτου διατριβῶν γραφόμενα εὑρίσκεται. Vix igitur dubitabimus, quin homiliarum protrepticarum locus, quem adfert Stobaeus, haustus sit ex diatribis. Προτρεπτικαί quod audiunt homiliae apud Stobaeum sive diatribae, non mirum. Totum enim disserendi genus Arrianeum, quod superest, προτρεπτικόν esse nemo nescit, qui quae diatribarum aliquot locis de 'protreptico charactere' disputat Arrianus perlegerit (cf. diatr. II 26, 4; III 23, 33 sqq.). Nec non notum est, quam familiares fuerint προτρεπτικοί stoicis praesertim (vide supra p. 34 adn. 1; Krischii 'Forsch.' p. 409; Wendland. l. s. p. 8 adn. 1). De Stobaei igitur homiliis res satis aperta est. Num de Photianis scrupulus remanebit? Mihi quidem non dubium, quin Schweighaeuserus Photium erroris convicerit, et plane subscribo iis, quae monuit ille t. II 1 p. 13: 'Ex brevi mentione, quam Epicteteorum Arriani librorum facit Photius, intelligitur, libros ipsos non fuisse ab hoc Critico inspectos; quo facilius fieri potuit, ut idem opus, quod ab aliis Διατριβῶν Ἐπικτήτου, ab aliis Ὁμιλιῶν titulo insigniebatur, pro duobus diversis operibus ab eo haberetur.' Neque igitur audiendus est Steinhartus, qui l. s. p. 452 adn. 68 homilias et diatribas magni dissertationum operis singulas partes

[1]) Temere locum ad Plutarchum olim rettulit Wyttenbachius.

onstituens illas tamquam esotericas significari, has fuisse exotericas suspicatus est. Discrimen hoc, quod notum est quantopere vexaverit homines doctos in libris Aristotelicis, in Arriani de Epicteto scriptis omnino nihil valere persuasum habeo nec negabunt id, opinor, qui Epicteteae philosophiae moralis rationem protrepticam vereque popularem perpenderint. Neque exempla attulit vir doctissimus huius quam homilias inter et diatribas constituit notionum differentiae. Perseverandum est igitur in Schweighaeuseri de Photiano errore iudicio. Cum praesertim ipse Photius ea, quae de Arriani opere habet, non sine dubitationis significatione (ὅσα ἴσμεν) protulerit, veri simillimum est suo ipsius usu eum opus Arrianeum non cognitum habuisse titulorumque quam illustravimus varietate abductum esse, ut duo opera diversa statueret, quae re vera unum idemque erant. Errore autem perspecto eo magis cavendum erit, ne quis properantius abutatur duodecim librorum numero, quos homiliis tribuit Photius. Poterat sane fieri, ut amplum Arriani opus duodecim olim constaret voluminibus, non octo, cum huius praesertim numeri, non illius mentio fiat cum aliqua dubitatione, sed certi quidquam nemo eliciet ex memoria per se suspecta. Neque enim supra quintum librum ascendunt testes reliqui. Quamquam quod βιβλία η′ commemorantur a Photio, haud difficile ita fere possit explicari, ut alicubi διατριβῶν librum octavum legerit citatum neque animadverterit respici idem opus, quod ei sub titulo Ἐπικτήτου ὁμιλιῶν βιβλία ιβ′ notum erat.

His de Arriani diatribis praemissis via ad interpretanda Gellii testimonia planior et expeditior facta est. Qui cum ipsum Arriani opus adierit (cf. noct. Att. I 2), mirum fortasse videbitur, quod nusquam διατριβῶν titulo eas laudavit Nam duobus locis (noct. Att. I 2; XVII 19) latino sermone titulum operis indicat, tertio (ibid.

XIX 1) 'Epicteti διαλέξεις ab Arriano digestas' citat. Atque 'dissertationibus Epicteti digestis ab Arriano' (noct. Att. I 2) vel 'libris quos de dissertationibus eius (sc. Epicteti) composuit' Arrianus (noct. Att. XVII 19) nullius nisi διατριβῶν tituli interpretationem dari latinam per se ipsum patet. Quid quod unus e 'diatribarum' codicibus a Schweighaeusero excussis (cod. Parisinus C n. MCMLIX; vid. Schweigh. t. I praef. p. XXII) in fronte tabulae capitum libro primo comprehensorum hanc exhibet inscriptionem: Τὰ κεφάλαια τοῦ πρώτου βιβλίου τῶν Ἐπικτήτου διατριβῶν συγγραφεισῶν παρ' Ἀρριανοῦ (vid. Schweigh. t. II 1 p. 13), cui interpretatio Gelliana satis accurate convenit. Διαλέξεις vero illas, ad quas tertio loco provocat Gellius, opus a diatribis diversum fuisse iam Uptonus suo iure negavit, quamquam ad 'homilias' hunc titulum referendum esse sibi persuasit Fabricius l. s. s. p. 91 eumque secutus est Steinhartus l. s. p. 452 adn. 68. Sed de homiliis si memineris quae modo disputavimus, haud spero fore ut haec tibi probetur opinio. Accedit quod si duos Gellii locos superiores cum nostro comparaveris, tam similis offertur citandi ratio (animadvertendum est hoc quoque loco addi 'ab Arriano digestas'), ut quin tribus locis unum idemque opus respiciatur dubium esse vix possit. Denique διατριβαί et διαλέξεις voces eiusdem fere significationis sunt (cf. Suidae gloss.: διατριβή . . . διάλεξις φιλόσοφος). Διαλέξεων igitur librum quintum a Gellio citatum primum esse ex iis diatribarum libris, qui hodie desiderantur, certum puto.

Quoniam de Gellio dictum est, quaeritur iam quid faciendum sit Ἐπικτήτου ὑπομνήμασιν ab Antonino πρ. ἑαυτ. I 7 memoratis. Quo titulo iam Gatakerus ad h. l. Epicteti diatribas respici monuit idque rectissime. Nam eodem hoc nomine ipse Arrianus utitur ad diatribas significandas in epistula ad L. Gellium data (vid. Uptonum ad

Arriani epist. § 2). Quod si consideravisset Winnefeldus (vid. Fichtii annal. philos. nov. v. XLIX p. 9), Antonini verba non ad enchiridion Epicteti traxisset, ubi sententiae Epicteteae ab Antonino servatae neque hodie exstant neque, cum a Simplicio ignorentur, olim exstitisse putandae sunt. Nescio autem num iustiore ullo quam ὑπομνημάτων nomine significari potuerint diatribae, sive libros memoriales interpretamur ὑπομνήματα, sive commentarios, quos suos in usus scribere solebant auctores philosophi. Nam etiam quod proprie dicitur hypomnematicum genus [1]), de quo nuperrime aliquid monuit Usenerus Epicur. p. XLII, plane id esse, quo utitur Arrianus, ipse apertissime indicat auctor epistolae ad L. Gellium datae initio: Οὔτε συνέγραψα ἐγὼ τοὺς Ἐπικτήτου λόγους οὕτως, ὅπως ἄν τις συγγράψειε τὰ τοιαῦτα· οὔτε ἐξήνεγκα εἰς ἀνθρώπους αὐτὸς κτέ.

Nullum denique facessunt negotium Augustinus vel Arnobius. Qui cum libri adsciti titulum omnino non exhibeant, eo ipso produnt ex opere nobilissimo omnibusque noto se hausisse quas proferunt sententias. Nec abhorrent hae a diatribis: Arnobii verba ad enchir. c. 32 rettulit Schweighaeuserus l. s. t. III p. 216, de Augustino vide quae idem adnotavit ad diatr. I 18, 3 t. II 1 p. 208 sqq.

Restant Stobaei aliquot lemmata, quae examini subiciantur. Ab iis autem exordiamur, quae fontis alicuius vestigium produnt, velut hoc: Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου Πρὸς τὸν περὶ οὐσίας (διαλεγόμενον add. Wachsm.) ecl. II 1, 31 W. Quod quo referendum sit, primus vidit Schweighaeuserus l. s. t. III p. 213. Nam cum inter Epicteti diatribas, quae supersunt, passim sint quae similes titulos in

[1]) cf. Marres de Favorini Arelat. vita, studiis, scriptis p. 74 adn. 2; Koepkius (cuius de hypomnematis librum inspicere non potui) 'Ueber die Gattung der Ἀπομνημ. in der gr. Litt.' p. 1.

fronte gerant, veluti diatr. I 5 Πρὸς τοὺς Ἀκαδημαικούς (praeterea cf. diatr. I 10; 21; 23. II 3; 4; 14; 15; 19; 20; 24. III 4; 5; 7; 9; 21; 25; 26. IV 4; 5; 6; 8; 9; 13) atque Stobaeus ex diatribarum libris servatis excerpta (Stob. ecl. I 1, 33 W. = diatr. I 6, 1—11; ecl. I 1, 40 W. = diatr. I 12, 1 - 7; ecl. I 1, 34 W. = diatr. I 14, 1—10; flor. 108, 80 = diatr. I 6, 26 sqq.) proferat cum lemmatis, quae diatribarum capitum titulis plane accurateque respondeant (e. g. diatr. I 6 Περὶ προνοίας = Stob. ecl. I 1, 33 W. Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου ἐκ τῶν περὶ προνοίας), dubitari nequit, quin hoc quoque lemma, de quo agimus, ad caput aliquod diatribarum spectet deperditarum. Quo intellecto melius iudicari poterit de alio lemmate, quod quidem primo obtutu minus facile videatur ad explicandum. Dico lemma, quod quater reperitur apud Stobaeum (vide supra p. 30): Ῥούφου ἐκ τῶν Ἐπικτήτου περὶ φιλίας. Difficultas, si qua est, primo huius inscriptionis vocabulo oritur interpretando. Quare quid de Rufo statuendum sit, quaeramus oportet. Ac P. Nieuwlandus quidem in 'dissertatione', quam scripsit 'de Musonio Rufo' (primum edita Amstelodami a. 1783, deinde repetita a V. Peerlkampio in 'Musonii Rufi reliquiis' Harlemi a. 1822) in dubio relinquit, num sententiae hoc lemmate instructae ad Ῥοῦφον illum in diatribis saepe laudatum (diatr. I 1, 27; 7, 32; 9, 29. III 6, 10; 15, 14; 23, 29) referendae sint, qui idem ei est atque Musonius Rufus ille, de quo Tacitus annal. XIV 59; XV 71; hist. III 81; IV 10; 40; Plinius ep. III 11; Suidas s. v. Μουσώνιος, alii verba faciunt. Quod autem iusto timidius protulit Nieuwlandus, idem pro certo adfirmavit Schweighaeuserus nec non de fonte harum eclogarum probabilem coniecturam protulit t. II 2 p. 557 ad diatr. II 22 et t. III p. 195 ad fr. 67. Audi quid ipse dicat vir doctus: 'verba ista ἐκ τῶν περὶ Φιλίας sic accipio, ut duxerit

haec Fragmenta Stobaeus ex aliqua Dissertationum Epicteti, quae περὶ Φιλίας erat inscripta . . . Et exstat quidem in quatuor libris Dissertationum superstitibus caput vicesimum secundum libri II περὶ Φιλίας inscriptum, in quo nec fragmentum hoc num. 67. nec ullum ex aliis, quibus eumdem titulum adiectum diximus, hodie reperitur. At quemadmodum in libris, qui supersunt, passim videmus duas diversas Disputationes eodem titulo insignitas; . . . sic credibile est, in aliquo ex deperditis Disputationum Epicteti libris fuisse aliam Dissertationem, περὶ Φιλίας inscriptam; in qua disputatione plura quaedam praecepta a Musonio Rufo tradita commendaverat Epictetus.' Haec autem ipsa sententia, quam unice veram duco, inde quam maxime stabilitur, quod, ut Zellerus l. s. p. 731 adn. 3 recte observavit, non solum apud Stobaeum illis locis, de quibus agitur, sed etiam apud Arrianum in diatribis Musonius constanter adpellatur solummodo Ῥοῦφος. Neque refragatur huic observationi, quod Stobaeus etiam eclogas cum lemmate Μουσωνίου exhibet (collegerunt locos Wachsmuthius Stob. ecl. v. II ind. auct. p. 280 et Meinekiani indicis confectores flor. v. IV p. 318), quas, quamquam argumento stoico eundem auctorem redolent, tamen alio ex fonte manasse sciendum est [1]). Parum recte igitur ex forma lemmatis Ῥούφου ἐκ τῶν Ἐπικτήτου περὶ φιλίας concludat quispiam non ex ipsis Epicteti diatribis

[1]) Videtur has quidem eclogas Stobaeus deprompsisse ex eius modi libro, qualem Pollio nescio quis composuit teste Suida s. v. Πωλίων, cui inscriptum erat Μουσωνίου ἀπομνημονεύματα (cf. Zellerum l. s. p. 729 adn. 3), nisi veri similius erit ex Lucii libro qualicunque eas fluxisse, qui uno lemmate Λυκίου (Λουκίου Phot. Elteri p. 46) ἐκ τῶν Μουσωνίου respicitur ecl. II 15, 46 p. 193 W. Praeter Zellerum (l. s. p. 691) cf. nunc Wendlandi librum p. 22, qui recte addit: 'Ergo unde Stobaeus haec capita depromserit nescimus; hoc tamen ipsa eorum indole veri simile fit ea fluxisse ex commentariis a discipulo Musonii editis'.

sed e collectione quadam sententiarum a Rufo nescio quo facta fragmenta hoc lemmate insignita excerpta esse, cum praesertim haud ita rara sit in Stobaeo duplex illa lemmatis forma, cuius altero nomine indicatur is, cuius ipsa verba mox adferuntur, altero autem fons aperitur, unde ecloga petita est. Ut mittam notiora velut flor. 43, 58 Θουκυδίδου ἱστορίας τρίτης δημηγορίας Κλέωνος, 61 [1]) Θ. ἱστορίας ἕκτης δημηγορίας Νικίου, 66 Θ. <ἱστορίας ϛ' > δημηγορίας Ἀλκιβιάδου (cf. 43, 56; 46, 49; 47, 24; 50, 8. 9, al.), adprime conveniens nostro exemplum est hoc: Ἐκ τῶν Σερήνου ἀπομνημονευμάτων· Ἀρκεσιλάου Stob. ecl. II 2, 17 W.: habes sententiam Arcesilai, quam ex Sereni apomnemoneumatis deprompsit plane ut supra Rufi ex Epicteti capite Περὶ φιλίας. Vides corruere sententiam Wyttenbachii, qui ex lemmate, de quo agitur, praeter Arrianum etiam Rufum quendam Epicteti dissertationes prodidisse concludere non dubitavit (cf. Stob. flor. ed. Oxon. Gaisf. v. IV append. p. 15 k). Sed amplioribus lemmatis, de quibus dictum est, accedunt alia eaque breviora (vide supra p. 29 sqq.). Quae varietas lemmatum quomodo explicanda est? Erunt fortasse qui ex Stobaei codicum vario habitu auxilium petendum esse putent, ita ut librarii in lemmatis exscribendis modo minorem modo maiorem diligentiam praestiterint. Age codices consulamus. Atque ut a nudo illo Ἐπικ-

---

[1]) Flor. 43, 61 Θουκυδδ ἱστο ϛ' nec plura S Θουκυδίδου ἱστορίας ξ (spatio nonnullo inter ξ et δημ. interiecto) δημηγορίας νικίου M Θουκυδίδου ἱστορίας ἐκ τῆς δημηγορίας Νικίου A: corr. Hensius, qui supplevit 43, 66. Idem me docuit duo lemmata non recte copulasse Meinekium 17, 30 Ἐπικούρου. Αἰλιανοῦ ἐκ τῆς συμμικτῆς (συμμίκτου recte Md) ἱστορίας ex coniectura Perizonii: vid. Hercheri praef. Aelian. ed. Didot. p. VII adn. 16. Alia difficiliora ad interpretandum: velut Κράτητος (Κράτητος om. M) ἐξ Ἀντιφάνους, quod Meinekio v. IV p. XIV ita expediendum videtur, ut Crates senis nomen fuerit in Antiphanis quadam fabula. Cf. Bergkii p. l.[4] v. II p. 371.

τήτου ordiamur, quod novies legitur in florilegio, sciendum est Ἐπικτήτου sine ulla discrepantia exhiberi in diversis quae in censum veniunt codicum familiis S Tr. et MA: 20, 67. 45, 19. 46, 79. 110, 22 [1]) legitur in S et MA; 1, 46. 4, 92, quia S codex a septimo demum capite incipit, in Tr. et MA; 121, 27. 121, 29, quia in M deest haec extrema pars, in S et A; 7, 17 in sola familia MA, quia eclogam omittunt STr. Excepto igitur exemplo extremo, quod in dubio relinquendum est, adparet etiam in archetypo ubique lectum fuisse solum illud Ἐπικτήτου nec plura. Idem librorum consensus conspicuus est in lemmate, quod supra quater reperiri notavimus: Ῥούφου ἐκ τῶν Ἐπικτήτου περὶ φιλίας. Haec enim ubique forma legitur, nisi quod inter ἐκ τοῦ (ἐκ$^{\tau}$ S 19, 13. 20, 60) et ἐκ τῶν discrepant, totum denique lemma 19, 13 omisit ut saepissime liber excerpta continens Br [2]). De solo Ἀρριανοῦ (20, 48) vide supra p. 30 adn. 3. Nec fere alia res est in capite sexto florilegii quod LMA libris nititur solis: 6, 50 Ἐπικτήτου (Ἐ rubr.) nec pl. habet L, ἐκ τῶν (ἐκ τοῦ A) ἐπικτήτου MA; 6, 58 τοῦ (sed ante τοῦ litt. rubr. addend., <τοῦ αὐ> τοῦ Schoellius) ἐκ τῶν ἀπομνημονευμάτων L (post ecl. 6, 50), ἐκ τῶν ἐπικτήτου ἀπομνημονευμάτων MA (post ecl. 6, 57), ubi lectionis diversitatem ex diverso eclogarum ordine pendere intellegitur. Sed exemplorum abunde est. Si paucos exemeris locos, ubi

[1]) Idem locus Οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον legitur cum lemmate Σωκράτους flor. 1, 86 (MA, om. Tr.). Cf. gnomol. Dem.-Epict. n. 131 (Pal. 102. Bar. 71 a) p. 187 Wachsm. nec non Maxim. c. 38 p. 630 (Πλουτάρχου). Quam lemmatum discrepantiam quomodo expediam, vix habeo, nisi sumatur sententiam Socraticam olim lectam fuisse etiam in Arriani diatribis. Pro ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου (MA loco utroque, Bar., Max.) habet ἐκ μιᾶς ἀγκύρας S (flor. 110, 22) et Pal.

[2]) Verba ῥούφου ἐκ τοῦ flor. 19, 13 in margine interiore add. A[1] paulo altius; fugit Gaisfordum.

unus alterve codex a pristina lemmatis forma paululum recedit (cf. supra p. 29 adn. 1) archetypi lectio ex librorum consensu facile recuperatur, ut si quid neglegentiae admissum fuerit in lemmatis adferendis, id iam in ipso archetypo factum esse satis eluceat. Patet igitur diversam codicum, quibus hodie utimur, condicionem ad illustrandam lemmatum illam varietatem non satis valere. Nam ut facile concedo uno alterove loco fieri potuisse, ut olim locupletius quam quod hodie fertur lemma legeretur (velut haud ita male quispiam coniciat flor. 6, 50 pro Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου rescribendum esse Ἐκ τῶν Ἐπικικτήτου <ἀπομνημονευμάτων> plane ut vicino loco 6, 57), ita hac via ad communem quandam lemmatis quasi normam perveniri posse, ut varietas illa tollatur, nego ac pernego. Utilius erit causas rimari, quibus ipse Stobaeus adduci potuerit, ut lemmatis formam modo uberiorem praeferret modo succinctiorem. Ac primum quidem monendum est per se ipsum nihil miri habere, quod tanti operis compilator, qualem novimus Stobaeum, non uni quasi et constanti lemmatis formulae sese addixit in auctore totiens citato, sed per tot operis capita modo accuratiorem fontis indiculum necesse putavit, modo satis habuit solum auctoris nomen adposuisse, sive quia ipse festinantius nonnunquam scribens non ubique eandem diligentiam adhibuit, sive quia titulo aliquo iam in vicinis capitibus memorato vel solo nomine legentibus satis consulere sibi visus est. Nec magis profecto, quod inter Ἐπικτήτου et Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου nomen variatur, mirandum est: non diversa ratione utimur nosmet ipsi cum, sicubi de philosophia Epictetea sermo est, modo auctoris modo editoris nomen adhibemus (cf. Zelleri l. s. p. 739 adn. 2). Iam vero dandum est aliquid variandi illi studio, quod ut omnibus eius modi compilatoribus plus minus commune ne a Stobaeo quidem alienum esse dudum animadver-

terunt homines docti: scilicet ut quam maximo lemmatum numero electorumque auctorum grege commendaretur sylloge sua, operam illi dabant fontibus, ex quibus hauserunt, nonnunquam consulto celatis. Cf. Dielesium mus. Rhen. nov. v. XXX p. 172, Freudenthalium ib. v. XXXV p. 415. Huc referendum videtur Πύρρωνος lemma (sic A, om. S; totus locus deest M). Recte enim olim eclogam flor. 121, 28, quam inter duas Epicteteas eodem hoc loco legit pinacographus Photianus (ubi Πύρρωνος Elter. p. 47), ipsam quoque ex diatribis Arriani haustam esse intellexerunt editores inde ab Verlenio (n. 93 Schweigh.) nec delere eam debebat Duebnerus p. 15 adn. Pyrrhonei irridentur diatr. I 27, 2. 15. Res confirmatur etiam eo, quod praeterea obiter tantum semel mentio fit Pyrrhonis ecl. II 1, 17 W. Ex eodem fonte repetierim etiam Agrippini eclogam flor. 48, 44 (lemma Ἀγριππίνου MA, om. S)[1]. Neque enim alibi Agrippinus apud Stobaeum commemoratur nisi in loco Epicteti, scilicet flor. 7, 17 = Epict. fr. 56 Schweigh. De eodem verba fiunt diatr. I 1, 28 sqq.; I 2, 12. Et adprime congruere eclogam cum Epicteti praeceptis vere humanis facile concedet qui caput Ὅτι οὐ δεῖ χαλεπαίνειν τοῖς ἁμαρτανομένοις diatr. I 18 inspexerit (cf. Zeller. l. s. p. 750). Stoicam vero vel cynicam originem prodit illa comparatio cum medico, qua utentem facit auctor Agrippinum (ὥσπερ καὶ ὁ ἰατρὸς τὸν τεμνόμενον παραμυθεῖται καὶ πείθει παρέχειν ἑαυτόν): locos huius modi collegit Zellerus l. s. p. 733 adn. 2; p. 740 adn. 3.

---

[1]) 'Idem lemma legebatur in codice Photiano p. 62 Elter., ubi codicum ordo Ἆγις Ἀγριππῖνος Ἀναξίλαος non recte nuper immutabatur. Immo Anaxilai ecloga 48, 17 iteratur in MA post 48, 45: Ἀναξιλάου (ἀνεξιλάου M). Ἀναξίλαος ὁ Ῥηγίου τύραννος ἐρωτηθείς, τί μακαριστότερον (μακαριστότατον M) τῆς τυραννίδος, ἔφη, τὸ εὖ πάσχοντα δύνασθαι ὑπερβάλλεσθαι (ὑπερβαλλέσθαι A). Hanc recensionem ante oculos habuit pinacographus': Hensius.

Recte igitur ad Arriani dissertationes revocatur ecloga a Gaisfordo; erraverat Wyttenbachius de Plutarcho cogitans. Denique eclogas ex diatribis exscriptas ne ubique peculiari capitis inscriptione (velut Περὶ φιλίας, Πρὸς τὸν περὶ οὐσίας . . .) instrueret Stobaeus, ipsius Arriani nonnunquam impedimento fuerit ratio inscribendi. Non modo uberiores dico titulos, quos exscribere longum erat et molestum (cf. e. g. diatr. I 3. 7. 9. 27. 28. II 9. 16. III 2, al.), sed exstant capita velut diatr. III 6. 11. 14 aliaque fortasse in libris deperditis haud pauca, quibus nihil ab Arriano inscriptum erat nisi 'Σποράδην τινά'. Cuius modi capita ut probabile est Stobaeum non sprevisse (cf. infra p. 50), ita accuratiori titulorum notationi parum ea favisse satis adparet. Sed haec quidem hactenus.

Vides me iam delapsum esse ad eam quaestionem, quae cum lemmatum varietate artissime cohaeret, utrum Stobaeus eclogas Epicteteas ex ipsius Arriani libris deprompserit an excerptorum quadam collectione usus sit. Inclino eo, ut illud veri similius putem quam hoc. Quo in iudicio haud mediocriter me confirmat, quod eorum, qui alteram sententiam tueri studebant, neminidum contigisse video, ut sententiam suam stabiliret causis ad persuadendum idoneis. Ac primum Schweighaeuserus lemmate Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου ἀπομνημονευμάτων eius modi 'sententiarum' Epictetearum collectionem, ex qua hauserit Stobaeus, indicari aliquando opinatus est (ad fr. 53—55), at mox ipsum suae opinionis paenituisse supra monuimus (p. 34) vera interpretatione ἀπομνημονευμάτων vocis reperta. Nihilo minus Schweighaeuseri errore usus est Otto Bernhardtius quaest. Stob. p. 15, ut fulciret quodammodo suam de duobus florilegiis a Stobaeo adhibitis coniecturam, quae florilegia ita inter se discrepasse ei visa sunt, 'ut cum alterum integra lemmata articulis praemitteret, alterum adponeret nihil nisi auctoris nomen' (l. s. p. 9).

Sed quam temere haec Bernhardtii coniectura excogitata sit quamque careat iusto fundamento, post ea, quae Dielesius mus. Rhen. nov. v. XXX p. 174 contra eum monuit, denuo hodie exponere supervacuum est; cf. Wachsmuthii 'Stud.' p. 148 adn. 1. Vix autem felicius res cessit Lortzingio, qui Stobaeum collectione usum esse coniecit, qua non modo excerpta Democritea sed fortasse etiam aliorum scriptorum sententiae velut Isocratis aut Epicteti continerentur (l. s. p. 8). Admissa enim hac de Epicteto coniectura facilius putat intellegi, qua tandem ratione fieri potuerit, ut duae eclogae, quae Democriti nomine recte citantur flor. 17, 38 et 39, ab eodem Stobaeo tribuerentur Epicteto flor. 6, 59 et 60. Sed explicandi hac ratione sibi parum satis fecisse Lortzingium statim ipse indicat alia via ad dissensionem illam solvendam patefacta[1]: certe minime sufficere posse eius modi coniecturam adparet ad gnomologium quoddam statuendum aliunde non cognitum. Denique multo confidentius sed ut etiam longius a vero aberraret, rem adgressus est nuper Bruno Keilius anal. Isocr. p. 134, qui de flor. 1, 19—1, 46 haec scribere non dubitavit: 'adfert [Stobaeus] Pythagoram, Antisthenem, Phocionem, Diogenem, Socratem, Democritum, Isocratem (1, 41 et 45), Epictetum: num dubitare licet, quin Stobaeus haec omnia ex gnomologio quodam suum in florilegium transtulerit?' Quid multa? Ignotum est viro docto eclogarum ordinem vulgatum, quo

[1] Etiam hoc loco ut editionem suam inspicere possem permisit mihi Hensius, qui ad flor. 6, 59 haec adnotavit: 'Ecl. hab. lemmate non iterato L, lemm. τοῦ αὐτοῦ addito MA. Eadem sententia et proxima Democrito tribuitur flor. 17, 38. 39, quod recte fieri confirmatur ecloga 17, 40, ubi vid. Dissensio ita explicanda est, ut aut integram Democriti sententiam ante ecl. 59 intercidisse suspicemur (e. g. sententiam, quam servavit Democrates q. d. n. 68), aut genuinum lemma eclogae 59 olim periisse in archetypo, iam ut ipsa ecloga non posset non videri *eiusdem*, sc. Epicteti, cuius sententiam praecessisse edocemur LMA librorum auctoritate coniuncta'.

niti vult coniecturam suam, ex mera Gesneri temeritate profectum esse plurimumque differre ab eo, qui in codicibus obtinuit. Adeat igitur Hensii commentationem supra commemoratam, ex qua etiam hoc discere poterat eclogam 1, 42, quam in suspicionem vocaverat Gaisfordus, a codicibus re vera abesse. Post tot irrita conamina facile quivis concedet maximopere cavendum esse, ne novum quoddam nobis gnomologium, ex quo hauserit Stobaeus, fingamus nisi summa necessitate coacti. Ac lemmatum varietate tale gnomologium evinci posse iam supra negavimus. Vides igitur, ut modo significavi, in eam me ferri sententiam, ut ipsius Arriani et enchiridion et diatribas excerpsisse putaverim Stobaeum, utpote compilatorem Simplicii fere aequalem. Quamquam modeste hanc sententiam proferre malim quam nimiae confidentiae vel temeritatis crimen incurrere. Ut enim nihil repperi, quod opinioni meae vere refragari videatur, ita ingenue fateor rem difficillimam diiudicatu me non ita invictis argumentis posse demonstrare, ut omnis dubitatio tollatur. Nec tamen ad diluendam quaestionem, propter quam haec disputavimus, ita multum refert, utrum ipse Stobaeus Arriani opera inter manus habuerit an alius gnomologus, quem ab illo exscriptum esse volebant. Maioris momenti est, quod fragmentis a Stobaeo servatis etiam nunc haerent vestigia Arriani adhibiti satis aperta. Huc referendum est verbum ἔφη vel φησί aliquotiens servatum (ecl. II 1, 31 W. Ἀρριανοῦ Ἐπικτητείου Πρὸς τὸν περὶ οὐσίας; flor. 4, 93 Τοῦ αὐτοῦ post Ἐπικτήτου; 7, 17 Ἐπικτήτου; 121, 30 Τοῦ αὐτοῦ post Ἐπικτήτου), quo Arrianus in diatribis Epicteti verba adferre solet (cf. Schweigh. t. III ind. gr. p. 472 s. v. φησί) velut diatr. I 4, 28; 14, 1—10 = Stob. ecl. I 1, 34 W.; diatr. I 16, 8; II 23, 16; III 2, 6. Prima persona loquitur philosophus sicut saepissime in diatribis ecl. I 3, 50 W. Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου ἀπομνημονευμάτων; flor. 6,

50 Ἐκ τῶν Ἐπικτήτου; 121, 29 Ἐπικτήτου. Alterni disputantium sermones adferuntur plane diatribarum more modoque ecl. I 3, 50; II 1, 31 W.; flor. 4, 93. Consulto autem sua locis lemmata adscripsi, statim ut appareret fontis indicia eius modi pertinere aeque ad eclogas minoribus ac plenioribus lemmatis instructas. Quid quod in iis eclogis, quae solo Ἐπικτήτου lemmate insignita sunt, nonnulla tantam cum aliis diatribarum locis similitudinem ostendunt, ut, quin ipsa quoque ex diatribis manaverint, dubitari nequeat. Conferantur inter se

Epict. fr. 16 Schw. = Stob. flor 4, 93 Mein.: Τοῦ αὐτοῦ. Χαρίεντες, ἔφη, εἰσὶν οἱ μέγα φρονοῦντες ἐπὶ τοῖς οὐκ ἐφ' ἡμῖν. 'ἐγώ σου', φησί, 'κρείττων εἰμί, ἀγροὺς γὰρ ἔχω πολλούς, σὺ δὲ λιμῷ παρατείνῃ.' ἄλλος λέγει, 'ἐγὼ ὑπατικός εἰμι'. ἄλλος, 'ἐγὼ ἐπίτροπος.' ἄλλος, 'ἐγὼ οὔλας τρίχας ἔχω.' ἵππος δ' ἵππῳ οὐ λέγει ὅτι 'ἐγὼ κρείττων εἰμί σου· πολὺν γὰρ κέκτημαι χιλὸν καὶ κριθὰς πολλάς, καὶ χαλινοί μοι εἰσὶ χρυσοῖ καὶ ἐφίππια ποικίλα', ἀλλ' ὅτι 'ὠκύτερός σου εἰμί'. καὶ πᾶν ζῷον κρεῖττον καὶ χεῖρόν ἐστιν ἐκ τῆς ἑαυτοῦ ἀρετῆς καὶ κακίας. ἆρ' οὖν ἀνθρώπου μόνου ἀρετὴ οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δεῖ ἡμᾶς εἰς τὰς τρίχας ἀφορᾶν καὶ τὰ ἱμάτια καὶ τοὺς πάππους;

Arr. diatr. III 14 (Σποράδην τινά) 11 sqq.: 'Κρείσσων εἰμί σου, ὁ γὰρ πατήρ μου ὑπατικός ἐστιν' ἄλλος λέγει 'ἐγὼ δεδημάρχηκα, σὺ δ' οὔ'· (12) εἰ δ' ἵπποι ἦμεν, ἔλεγες ἂν ὅτι 'ὁ πατήρ μου ὠκύτερος ἦν'; <ἢ>[1]) ὅτι 'ἐγὼ ἔχω πολλὰς κριθὰς καὶ χόρτον' ἢ ὅτι 'κομψὰ περιτραχήλια'; εἰ οὖν ταῦτά σου λέγοντος εἶπον ὅτι 'ἔστω ταῦτα, τρέχωμεν οὖν'· (13) ἄγε, ἐπ' ἀνθρώπου οὖν οὐδέν ἐστι τοιοῦτον οἷον ἐφ' ἵππου δρόμος, ἐξ οὗ γνωσθήσεται ὁ κρείττων καὶ ὁ χείρων; μήποτ' ἔστιν αἰδώς, πίστις, δικαιοσύνη; (14) τούτοις δείκνυε κρείττονα σεαυτόν, ἵν' ὡς ἄνθρωπος ᾖς κρείττων· ἂν μοι λέγῃς ὅτι 'μεγάλα λακτίζω', ἐρῶ σοι κἀγώ, ὅτι 'ἐπὶ ὄνου ἔργῳ μέγα φρονεῖς'.

[1]) ἢ add. Hensius.

Quibus statim tertium addere licet locum manifesto ex diatribis petitum flor. 5, 91 (lemmate non iterato post Epict.) = Epict. fr. 26 Schweigh.: Οὔτε ἵππος ἐπὶ φάτνῃ καὶ φαλάροις καὶ τάπησιν, οὔτε ὄρνις ἐπὶ βρώμῃ καὶ καλιᾷ ὑψοῦται καὶ γαυριᾷ κτέ. Nec non alia sunt in promptu, sed nolo exempla cumulare in re satis aperta. Ut igitur comprehendam quae de lemmatis Stobaeanis modo disputata sunt: utrumcunque probabilius videbitur, sive ab ipso Stobaeo Arrianum excerptum esse sive ab alio, qui ante illum erat, eclogario hunc laborem susceptum fuisse, hoc spero concedetur ne Stobaei quidem lemmatis vel eclogis quidquam inesse, quo praeter diatribas et enchiridion aliud quoddam Arriani opus olim exstitisse comprobetur vel Uptoni de Arriani libris Epicteteis sententia, quam supra fere nostram fecimus, possit infringi.

Stobaei librorum tabula

(vid. supra p. 28)

S = codex Vindobonensis
Tr. = editio Trincavelliana

L = codex Laurentianus plut. VIII 22
Br = codex Bruxellensis

M = codex Escurialensis
(M[d]: vid. mus. Rh. v. XXXIX p. 359 adn. 1)
A = codex Parisinus 1984
